DE
PRAXI QUESNELLIANA
IN DILATIONE
SACRAMENTALIS ABSOLUTIONIS

Ad Propoſitiones LXXXVII., & LXXXVIII. ex CI.
Proſcriptis in Bulla *Unigenitus*

DISSERTATIO DOGMATICA


Publicæ Diſputationi propoſita in Collegio Romano
a Patribus Societatis Jeſu Anno MDCCLV.

ROMÆ MDCCLV.

TYPIS JOANNIS GENEROSI SALOMONI
PRÆSIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google



DE PRAXI QUESNELLIANA
IN DILATIONE
SACRAMENTALIS ABSOLUTIONIS
DISSERTATIO DOGMATICA

Ad Propoſitiones LXXXVII., & LXXXVIII. ex Centum, & Una Proſcriptis in Bulla *Unigenitus*.

CAPUT I.

Controverſiæ ſtatus. Qui errori proſcripto proluſerint? Regulæ conſentaneæ errori damnato, quæ leguntur in Scriptis Adverſariorum.

PAſchaſii Queſnelli Obſervationes Morales in Novum Teſtamentum annis *1693.*, & *1694.*, & *1699.* editas *Chriſtifidelibus maximè pernicioſas* palam, ac ſæpius edixit Clemens XI. in Bulla *Unigenitus*, data anno 1713., & Bulla *Paſtoralis officii* data anno 1718.: Quod autem Pontifex in iis Obſervationibus vehementer redarguat *pernicioſæ inſtitutionis contagium, ut ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de regno ad populum alterum:* id enimvero præcipue cadere in doctrinam Propoſitionum de uſu Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ſive ut Sacramentum eſt, ſive ut Sacrificium, nemo dubitaverit, qui Janſenianæ Hiſtoriæ vel leviter peritus ſit. Hac de cauſa potiſſimum factum, ut de

Digitized by Google

Refractariis in Conſtitutionem ſuam ſcriberet Clemens in Bulla *Paſtoralis Officii* : „ Verentur , ne per illam Conſtitutionem „ *Unigenitus* laudabilis , & ab S. Sede probata Eccleſiaſtica „ diſciplina infringatur , neve demum ſalubriores Chriſtiano- „ rum morum regulæ ſubvertantur . . . . „ Specioſo quodam „ ementitæ ſeveritatis amictu ſe contegentes, *rigidioris do-* „ *ctrinæ gloriam captare non ceſſant* , inſtituendæque in „ melius Chriſtianorum vitæ , & ad normam Evangelii com- „ ponendæ zelum magnifice oſtendunt . „

Cæterum quod attinet ad Propoſitiones 87. & 88. (*a*) , de uſu Pœnitentiæ, ſeu de dilatione abſolutionis , qua de re ſolum futurus eſt nobis ſermo , optandum fuiſſet, ut vir ſummus Dionyſius Petavius in *Libris* , quos *octo* conſcripſit contra Arnaldum *de Pœnitentia Publica* , *&* *Præparatione ad Communionem* , de ea dilatione non obiter tantum pauca indicaſſet , ſed pro materiæ dignitate , & gravitate ſcripſiſſet . Ac Arnaldus quidem Par.2. cap.XI. -- *Ut dilucidior*, inquit, *ſit oratio* , *conſiderari poteſt pœnitentia vel ut diſpoſitio ad Sacerdotis abſolutionem* , *vel ut præparatio ad Communionem Euchariſtiæ* -- & paulo poſt -- *duplicem veluti rationem*, *ac reſpectum in pœnitentia diſtinguere poſſumus* , *&* *ſtudioſius quærere* -- . Conſtat jam ex Operis titulo egiſſe Petavium de Pœnitentia , uti præparatio ad Communionem eſt: (vid. præterea L.1. c.4. ſub initium) Reliquam vero Arnaldi tractationem aliorum induſtriæ diſcutiendam reliquiſſe ; Hoc autem eo diligentius præſtandum eſt , quod tum Queſnellus ipſe , tum alii plurimi ejuſdem Doctrinæ , quotquot libros ſuos hac de re a ſæculo vulgavere , nonniſi Arnaldum vel in compendium contrahunt , vel amplificant , vel deſcribunt .

Id ut cum fructu aliquo fiat , diſputatio omnis ad Sacras Scripturas, Patres, Canones, Concilia revocanda eſt : Hæc paſſim nomina clamitant adverſarii , in his arcem ſuæ defenſionis conſtituerunt , venerandam Antiquitatem a nobis peſſumdari con-

(*a*) De his duabus Propoſitionibus ajunt centum Epiſcopi Galliæ in Documento Paſtorali „ Mœrentes audivimus nonnullos ſeduci ſe paſſos „ faſcino propoſitionum , quæ ſub „ ſpecie Diſciplinæ Veteris ſemper „ Fidelibus venerandæ, uſum præſentis Eccleſiæ in Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratione condemnant .

Digitized by Google

conqueruntur. Contra ego demonſtraturus ſum Scripturis, ac Patribus, totique Antiquitati nihil tam aperte adverſari, quam Queſnellianam Praxim in dilatione abſolutionis.

Hoc tamen velim, quod nemo ullus ſani judicii improbet, ne textus Scripturarum, Patrum, ac reliquorum veterum monumentorum congerantur tantummodo, verum etiam diligenter expendantur: Hac ego lege teneri volo, hac ſe teneri adverſarii patiantur. Quod enim ait Auguſt. lib.3. de Doctr. Chriſt. cap.4. „ Rariſſime igitur, & difficillime inveniri poteſt ambiguitas in propriis verbis, quantum ad libros divinarum ſcripturarum ſpectat, quam non aut circumſtantia ipſa ſermonis, qua cognoſcitur Scriptorum intentio, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ ſolvat inſpectio „ idipſum fere ad Patrum, veterumque Eccleſiæ monumentorum poteſt transferri; attenta præcipue, diligenterque conſiderata *aut præcedentis, vel conſequentis contextione ſermonis*, ut cap.3. dixerat Auguſtinus. Hoc ſi fiat, (quamquam ſine magno labore fieri non poſſit, ſed faciendum eſt tamen) unica illa via aperietur, qua veritatem aſſequamur, Janſenianorum dolo magnis tenebris tot annorum decurſu involutam, qua, divino adſpirante numine, compeſcantur tandem aliquando calumnioſa convicia, quæ a tot jam annis, ſive libris, ſive voce vulgantur in Domini Sacerdotes, in Epiſcopos, in Pontificias ipſas Conſtitutiones: Quam acerba illa ſint, quam ſeditioſa intellige, ſpeciminis loco, ex Reſponſo Janſenianorum ad Documentum Centum Epiſcoporum Galliæ: „ Si Fidelium animos, inquit Scriptor, „ conturbaverit Propoſitionum octogeſimæ ſeptimæ, & octogeſimæ octavæ condemnatio (per Bullam *Unigenitus*) ex „ eo contigit, quod nihil illa poſſit eſſe magis horridum, „ nihil majoribus obnoxium ſcandalis. *Omnia Doctorum corruptiſſimorum laxa dogmata confirmantur*, & quidquid „ reliquum eſſe poterat diſciplinæ in adminiſtrando Euchariſtiæ Sacramento ſubvertitur: fruſtra laudantur regulæ a S.Carolo conditæ, a Galliæ Clero probatæ: Diſſolutio Magiſtrorum ſemper ad Conſtitutionem *Unigenitus* provocabit, „ & ſpectatis Dogmatum proſcriptorum terminis *nulla la-*

„ *xitas* tam exitialis eſt, quam Propoſitionum cenſura non „ ſtabiliat. „

Queſnelli propoſitio 87. ſic habet: „ Modus plenus ſa„ pientia, lumine, & charitate eſt dare animabus tempus „ portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, pe„ tendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi „ ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilien„ tur „. Altera, ſive 88. hæc eſt: „ Ignoramus, quid ſit „ peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim „ reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum „ ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confu„ ſionem.

Errorem prioris Propoſitionis, cui altera conſentit, hoc pacto exponit Documentum Paſtorale XL. Galliæ Epiſcoporum, quibus alii LX. acceſſere (quare & appellatur Inſtructio Centum Galliæ Epiſcoporum) *(a)* „ Dilationem abſolu„ tionis, & ſatisfactionem, aut ſaltem ejus partem abſolu„ tioni præmittendam ſtatuit, velut regulam generalem, „ nulla (ſufficienti) exceptione addita, aut mitigatione: Ita „ præſens Eccleſiæ uſus damnatur, & falſæ pietatis obtentu „ diſciplina introducitur, quæ foret pluribus, & ſæpe per„ nicioſa animabus „: Hæc centum Epiſcopi: Ac merito: Nam quamvis illæ notæ *paſſim*; *communiter*, *lege ordinaria*, quæ leguntur tam ſæpe in Arnaldo de Freq. Commun., ac præcipue par.2. cap.15. ſub initium, ubi quod: „ ex ipſa „ SS. Patrum mente reconciliari peccator poſſit, etſi laborio„ ſo pœnitentiæ munere defunctus non fuerit, hoc inquam „ vocat „ *ſingularem exceptionem*, *indulgentiæ temperamentum*, & unum *ex iis*, *quæ nonnunquam extra ordinem* ac *ſummum jus conceduntur*: Quod autem Peccator reconciliari non poſſit, niſi præmiſſo *laborioſo pœnitentiæ munere* id enimvero appellat *generalem regulam*, *legis præſcriptum*, *communem*, *vulgaremque diſciplinam*: Quod ipſum dixerat cap.xi. p.266.: (Deus) *ex ſtabili juſtitiæ ſuæ lege*, *pecca-*

(a) *Inſtruction Paſtorale Approvée par l' Aſſemblee de Meſſeigneurs, les Cardinaux, Archeveques, & Eveques, & propoſée a Meſſeigneurs les Prelats abſens an.*1714.

Digitized by Google

peccata adverſus ſe admiſſa pari, & æqua ſatisfactione elui, atque ex ſapientiæ ſuæ præſcriptione ſatisfactionem illam inter confeſſionem criminis, & Sacerdotis abſolutionem interponi poſtulat: tum ſæpe etiam leguntur in Scriptoribus Queſnello conſentientibus, uti conſtabit ex teſtimoniis quam mox citandis: quamvis inquam minime in Queſnelli propoſitionibus 87., & 88. reperiantur eæ formulæ, neceſſario tamen ſubintelliguntur. Sunt enim propoſitiones dogmaticæ, (*Modus plenus &c*) indefinite poſitæ, atque ideo cenſentur æquivalere univerſalibus: quæ ſi patiuntur exceptiones aliquas, eas tamen, nonniſi raras, & in minime vulgaribus circumſtantiis. Quapropter ſi Queſnellus appoſuiſſet hiſce propoſitionibus reſtringentem voculam *aliquando*, damnatus utique non fuiſſet. Quis enim hoc negat aliquando differendam abſolutionem?

Proluſit errori harum propoſitionum Petrus de Oſma Doctor Hiſpanus, in quo Sixtus IV. confirmans judicium Alphonſi de Carillo Archiepiſcopi Toletani, hunc etiam errorem cum aliis proſcripſit Conſtitutione data anno 1478. *Non peracta pœnitentia confitentes abſolvi non debent*: De qua, & reliquis propoſitionibus Sacramentum Pœnitentiæ deſtruentibus ita Pontifex pronunciavit: „ Omnes & ſingulas pro„ poſitiones prædictas falſas, & S. Fidei Catholicæ contra„ rias, erroneas & ſcandaloſas, & ab Evangelica veritate „ penitus alienas, Sanctorum quoque Patrum Decretis, & „ aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus contrarias, ac manifeſtam „ hæreſim continere dicta auctoritate declaramus „. Diligenter animadvertas: *Peragere pœnitentiam* a Sacerdote impoſitam, quod Petrus de Oſma ante abſolutionem requirebat, non aliud reipſa eſt, quam *incipere ſatisfacere juſtitiæ Dei*, quod a Queſnello requiritur. Neque enim pœnitentia impoſita a Confeſſario eſt adæquata, ſed inchoata tantum ſatisfactio.

Hic idem error excitatus deinde eſt a Marco Antonio de Dominis lib.5. de Republ. Chriſt. cap.7. n.29., & ſeqq. Per eadem tempora Joannes Vergerius Abbas Sancyranus Janſenii Magiſter, hortator, & præſidium eumdem errorem docuit. Hinc cum anno 1638. die 11. Julii juſſu Regis Galliæ

exa-

Digitized by Google

examen de Sancyrano inſtitueretur a Supremo Regni Cancellario, Alexander Colas D. de Pormorant Abbas Commendatarius juridice interrogatus per Sacros Ordines jurans declaravit: „ ſe coram audiviſſe Abbatem Sancyranum debacchan-
„ tem adverſus praxim Religioſorum, & omnium hominum
„ ſpiritualium: minime, inquiebat Sancyranus, intelligunt
„ Evangelium, & ſemitas Jeſu Chriſti: *Ego Evangelium ve-*
„ *re poſſideo* .... Le Feron Canonicus in Civitate Carnotenſi
„ magnificus Sancyrani præco, ſimilia mihi principia occi-
„ nuit, inter quæ ſunt ſequentia: Pœnitentes nimis facile,
„ & nimis cito a Confeſſariis abſolvi: debere eos multo tem-
„ pore relinqui in lacrymis, & ſingultibus, donec de pec-
„ catis perfecte conterantur: ſine contritione perfecta abſo-
„ lutionem eſſe invalidam „: Hæc tranſcripſit P. La Fontaine Tom.3. pag.991. Prodiit deinde liber *Le Pacifique veritable*: continens eoſdem errores, paſſuſque eſt cenſuram Facultatis Theologicæ Pariſienſis an.1641. Julii 18.

Sub annum 1643. prodiit celebris „ De Frequenti Com-
„ munione Liber, in quo SS. PP. Pontificum, & Concilio-
„ rum de Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ Sacramentorum uſu
„ ſententiæ ſumma fide proferuntur, ut pro norma omnibus
„ eſſe poſſint, tum qui ſerio ad Deum ſeſe referre cogitant,
„ tum maxime Paſtoribus, & Sacerdotibus animarum ſalutis
„ ſtudioſis ab Antonio Arnaldo Presbytero Doctore Sorbo-
„ nico „: Fuit is liber Gallice primum ſcriptus, tum deinde ab eodem Auctore latine converſus, cujus Lovanienſem editionem an.1673. citabimus. Fertur præcipuus Auctor libri fuiſſe Joannes Vergerius Abbas Sancyranus, Magiſter Arnaldi, qui ſaltem opus auxit, ornavit, digeſſit, abſolvit, ſuoque nomine vulgavit munitum Approbationibus ſexdecim Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Galliæ, & XXIV. Doctorum, quibus an.1645. occaſione Synodi Provincialis Auſcenſis acceſſere Archiepiſcopus cum decem Suffraganeis ad Concilium celebrandum congregatis, nullo tamen Synodico Decreto, ſed extrajudicialibus ſuffragiis. Vide Approbationem Epiſcopi Lectoratenſis pag.130. apud Arnaldi librum in *Editione*, quam citavi.

Li-

Librum hunc Janſeniana *tota Factio*, *veluti Quintum Evangelium reveretur*, *ac defendit*; ut ſcribit P. De La Fontaine legendus Tomo III. ad Conſtitutionem Unigenitus ed. Romæ 1721. pag.1077. Eumdem librum tot curarunt approbationibus Præſulum, & Doctorum Elogiis muniri, ut ab ejus condemnatione Sedes Apoſtolica deterreretur. Sed non potuit ea fallacia impedire, quin & Illmus Raconis Vavrienſium Epiſcopus, & complures etiam alii Epiſcopi Librum eumdem a ſuis Diœceſibus proſcripſerint, quos inter recenſendus Claudius D. Achey Archiepiſcopus Biſuntinus in Statutis Synodalibus anni 1648. d. 26. Maii: Cui etiam acceſſit Archiepiſcopus Mechlinienſis: De quibus omnibus legendus idem Cl. Scriptor Tom.3. pag.964., & Tom. pag.800., & 902. Præter Hæreſim de Bicipiti Eccleſiæ Capite, quam in Præfatione (prioris editionis pag.27.) traditam Innocentius X. an.1745. plaudentibus Galliæ Epiſcopis condemnavit, tacito authoris, & libri nomine; qua de re legendus idem ſcriptor Tom.3. pag.964., Articuli ex illo Libro complures decerpti fuere, & inter Propoſitiones numero triginta, & unam ab Alexandro VIII. damnatas profligati, videlicet XVI.„ Ordinem præ„ mittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non Politia, aut „ inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti Lex, præſcriptio, na„ tura rei idipſum quodammmodo dictante„ Et XVII.„ Per „ illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus„ „ Et XVIII.„ Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem „ Sacramenti pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum ſuſten„ tet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, „ nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed pro abuſu„ (*a*) In hoc Alexandri VIII. Decretum, ſcripſit impudentiſſi-

(*a*) Quod tres hæ Propoſitiones XVI. XVII., & XVIII. ex Arnaldo excerptæ ſint, patebit eas conferenti cum Parte ſcunda Libri de Frequenti Communione, ubi etiam invenies omnia fundamenta, omneſque rationes, quibus ducuntur Novatores in iis aſſerendis. Id itaque tamquam veritatem compertiſſimam paſſim inculcat P. La Fontaine ad Conſt. *Unigenitus* Tom. 3. ad prop. 87. cap.2. columm.964., & Tom.4. ad Prop.94. a Cap.VI. ad IX., & præcipue Cap.VII. & ad Prop.96. cap.8., & ad Prop.97. cap.3. & ad Prop.98. cap.3. Lege Tomo IV. ad Prop. 96. Columna 903., ubi indicaturus veluti fontes Arnaldinæ hujus doctrinæ refert ex authentico

tiſſime Queſnellus ſub nomine *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum*, ejuſdemque Arnaldi cauſam ſuſcepit idem Queſnellus in Libris *Obſervationum moralium* ad Caput IX. Actorum verſu *9.*, & Caput VIII. Lucæ ver. 12. ex quibus deſumptæ fuere Propoſitiones 87., & 88. inter proſcriptas per Bullam *Unigenitus*.

His Propoſitionibus conſentiunt Scriptores plures, qui Queſnellum ſequuntur, & has nobis regulas tradunt.

Primam Regulam dat Joannes Opſtraet Profeſſor Theologiæ in Mechlinienſi Seminario, antequam docendi munere ab Archiepiſcopo privaretur, in Theſibus anni *1690.* d. *26.* Januar. „ Qui caſu prorſus extraordinario, & tentatione inſolita in crimen labitur, vitæ alioquin probatæ, & Chriſtianæ, hujus etſi frequentior, facilior, & brevior ſoleat eſſe converſio, non tamen ei mox uno, alterove, aut tertio poſt peccatum die abſolutio impendenda eſt „ Et in alia earumdem Theſium „ Lapſum ex infirmitate tunc demum abſolves, cum per amorem Dei prædominantem peccata infirmitatis ſuperaverit, ac dimiſerit. „

Secundam Regulam dat idem Auctor in Theologo Chriſtiano

tico Monumento Colloquium habitum circa annum 1610. „ Virorum in „ Eccleſia ſpectabilium, inter quos „ erant D. Du Verger, cui nomen „ deinde fuit Abbati Sancyrano, & „ D. Janſenius, dein Iprenſium in „ Flandria Epiſcopus. Proponebat in „ eo colloquio D. Du Verger, ut ne „ Fideles Regularium Templa adi- „ rent tam frequenter: optimum factu „ eſſe, ſi Eccleſiaſtici qui admini- „ ſtrandis Sacramentis dabunt ope- „ ram, praxi uterentur oppoſita ei, „ quæ eo tempore uſurpabatur a Re- „ gularibus; Pœnitentiæ vero Sacra- „ mentum difficile redderent, Eu- „ chariſtiæ autem, ut uſus rarior eſ- „ ſet, efficerent.

„ Janſenio conſultum non videba- „ tur in Religioſos ſimul omnes in- „ ſurgere, ſed initium ajebat ſumen- „ dum a *Jeſuitis*; neque enim diffici- „ le futurum demonſtrare perverſam „ eorum de Gratia doctrinam . . . In „ eum finem librum ſe conſcripturum „ addicebat, quo Jeſuitarum Doctri- „ nam impeteret, quem ſuſpicio eſt „ eum eſſe, qui dein prodiit in pu- „ blicum hoc inſignitus Titulo, *Au*- „ *guſtinus &c.*

Hæc omnia *his ipſis verbis* teſtatus eſt D. De Razily vir nobilis Turonenſis præſens illi Colloquio, & iterum ante obitum confirmavit, ſubjecitque „ edixiſſe ſe viris iſtis non placuiſſe „ ſibi ea Conſilia, aut Colloquia, „ quippe in quibus nihil agebatur „ aliud, quam ut paſſioni ſuæ, atque „ utilitati inſervirent „ Totius rei hujus Authenticum, & Legale Documentum Tom. IV. columna 903. P. La Fontaine exhibet, ex quo hæc pauca ad verbum tranſcripſi.

Digitized by Google

ſtiano edito anno 1692. pag.45. „ Qui cum criminibus Exer-
„ citia Spiritualia ingreſſi ſunt, ne mox per octo, vel de-
„ cem dierum ſeceſſum, etſi a novis criminibus abſtinue-
„ rint, credant ſe ſatis probatos, ut abſolutionem accipiant. „

Tertiam Regulam tradit idem Auctor in *Paſtore Bono* pag.188. „ Regula, ex qua judicandum de alicujus conver-
„ ſione, & diſpoſitione, eſt emendatio vitæ, & bona ope-
„ ra. Hinc ſequitur eos, qui moraliter loquendo hactenus
„ fuerunt peccatores, debere judicari moraliter certo non eſſe
„ converſos, etiamſi dent gemitus, tunſiones pectoris, la-
crymas „ & his ſimilia. „ Hinc idem Opſtraet in Theſibus Mechliniæ 26. Januarii 1670. „ Falſum eſt illud quorumdam principium „ *Qui ſeriam emendandi ſe voluntatem oſtendit, poteſt abſolvi*.

Quartam Regulam idem Auctor Queſnelli Aſſecla habet in *Paſtore Bono* pag.264. „ Ratio, & experientia per-
„ ſuadent communiter ad abſolutionem diſpoſitos non venire
„ prima vice, qui peccatum aliquod mortale confitentur...
„ Communiter utile non videtur pœnitenti prima confeſſione
„ poſt peccatum mortale abſolutionem impendere „ Liber, cui Titulus -- *Brevis, & Solida Demonſtratio, quod in Hollandia non ſit Secta Janſeniſtarum* pag.86. „ Eſt ne novitas,
„ quod aliquis, qui tantum ſemel in grave peccatum inci-
„ dit, non ſe poſſit exiguo tempore convertere? Nonne id
„ omnino eſt fundatum in Evangelio? „ Eamdem quartam regulam ſtatuit Gummarus Huygens *in Methodo remittendi, & retinendi peccata* paginis 200. 201., & 202. Prima vice
„ veniens ad confeſſionem, ſive ſit conſuetudinarius, ſive uni-
„ cum tantum mortale gravius commiſerit, abſolvi non po-
„ teſt, niſi præmiſerit opera pœnitentialia, quæ exæquent,
„ aut exuperent crimen. „

Quintam Regulam idem Queſnelli Diſcipulus dat in Theſibus Mechlinienſibus an.1690. d. 26. Jan. „ Impium eſt dare
„ abſolutionem Sacerdoti non multo ante lapſo, eſto quæ-
„ dam celebrandi eſſet neceſſitas, puta ne populus die feſto
„ ſacro fruſtraretur. „

Sextam Regulam tradit Ægidius Gabrielis Auctor *Speci-*

Digitized by Google

ciminum Theologiæ Moralis Chriſtianæ, & Diabolicæ pag.154. & 318.„ Praxis mox abſolvendi poſt confeſſionem criminum „ eſt Praxis, & Moralis diabolica„ Rationem dat pag.131. „ Ratio differendi abſolutionem, donec proportionata delictis „ pœnitentia peracta ſit, eſt quia ſanatio ſpiritualis peccatoris de lege ordinaria non minori tempore indiget, quam „ corporalis, imo majori. „

Septimam Regulam, adhuc magis perſpicuam ſcripſit Gummarus Huygens *in Methodo remittendi, & retinendi peccata* pag. 54. „ Multo tam labore, quam tempore opus „ eſſe ſolet ad veræ juſtificationis dotem adipiſcendam „ Et eadem pag. „ Conſule, ſi lubet, Canones Pænitentiales, „ quibus unica fornicatio ſeptem annorum pœnitentia, & decem annorum adulterium mulctabatur „ Quo præmiſſo ſic ſtatuit „ Peccatores non converti ſufficienter ad abſolutionem, „ niſi mediante longa illa pœnitentia „ Mitius eſt illud Huygens in *Literis Chriſtianis, & Sententiis piis* pag. 11.„ Cenſeo multos peccatores eſſe, quorum converſio exigat duos, „ tres, quatuor annos, & amplius, antequam capaces ſint, „ ut a Deo veniam obtineant, & reconcilientur Eccleſiæ „ Quibus conſonat, quod ait Gaſpar Juvenin in Commentario Hiſtorico Dogmatico Diſſert. *6.* q.*9.* c.4. „ Toti, inquit, antiquitati fuiſſe perſuaſum, contritionem non eſſe unius diei „ opus, ſed multorum menſium, imo & nonnunquam annorum „ tum etiam, quod ait Ægidius de Witte in *Aurea Fodina ſuffoſſa* Part.1. pag.70. „ Pœnitentiam peccatoris non „ ſolum multo labore, ſed etiam tempore indigere, & interea debere eum Euchariſtia privari.... eſſe SS. PP. ſententiam non minus, quam ſolis radios conſpicuam „ Idem Gummarus Huygens, qui ſupra, in Præfatione Apologetica „ Si Laicus ſemel concupiiſſet fornicari, debuiſſet per biennium agere pœnitentiam „ Et quidem *ante abſolutionem*: Nam ut diſerte habet idem Huygens tum alibi, tum ibidem paulo ante finem „ Ante abſolutionem iſtæ pœnitentiæ peragendæ. „

Tandem quoniam hæ Praxes aptæ ſunt ad querelas fidelis populi excitandas, duæ ſunt reflexæ Regulæ apud hos Auctores:

Pri-

Digitized by Google

Prima eſt Queſnelli in Notis ad Epiſtolam D. Steayert „ Vi-
„ tæ ſceleratæ eſſe ſolent, qui de dilata, vel negata abſolu-
„ tione conqueruntur. „

Secunda eſt, quam exhibet diſcipulus Gummari Huygens, & Seminarii Namurcenſis Profeſſor in Dictatis §. De Abſolutione „ Exulcerantur animi quorumdam paſſim dicentium „ *Non ferunt hæc tempora Veterum Canonum, & antiquæ Eccleſiæ medicamenta*. „ Reſpondeo, inquit, imo ardentius
„ progrediamur, quia hæc una medicina præſtantiſſima eſt,
„ maximeque opportunum id remedium, ut quibus olim ra-
„ tionibus Diſciplina Chriſtiana lata, & propagata fuit, iiſdem
„ ipſis, & inſtauretur, & conſervetur „ Regulam habes in iis præcipue verbis -- *Imo ardentius progrediamur* -- Præiverat magiſter, ideſt Huygens in Methodo pag.116. -- *Quidquid*, inquit, *obloquiorum*, *turbarum*, *& incommodi conſequatur* -- De pluribus hujuſmodi turbis per Belgium excitatis lege La Fontaine Tom.3. pag.1096., & alibi: Legendus Liber cui Titulus *Specimen Doctrinæ Theologicæ ex Accademia Lovanienſi per Belgium manantis ab anno* 1644. *ad annum* 1677. Legendus, inquam, Parte ſecunda: Quæ eſt de *Materia Fidei*, *Spei*, *Caritatis*, *Pœnitentiæ*, *& Sacramenti Pœnitentiæ*.

CAPUT II.

Tribus Poſtulatis præmiſſis ſtatuitur Aſſertio Dogmatica Contra Queſnellianas 87., *&* 88.

AD hanc controverſiam facilius, & certius enodandam nonnulla poſtulamus, quæ certiſſima ſunt.

Poſtulatum I. Facultas conceſſa a Chriſto Domino Sacerdotibus remittendi, & retinendi peccata ad eorum judicium delata non habet formaliter, diſerte, explicite hoc onus, ſive modum, aut conditionem adnexam, *dummodo inter confeſſionem, & remiſſionem ſacerdotalem dilatio aliqua, ſeu mora intercedat*. Nihil enim hujuſmodi in Novo Teſtamento diſerte, & explicite. Licet itaque uſurpare verba S. Ambroſii Lib.1. de Pœnit. cap.2. „ Deus diſtinctionem non facit
„ qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus; & relaxandi li-

„ centiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit. „

Poſtulatum II. Praxis Eccleſiaſtica tum præſentis ætatis, tum proxime ſuperiorum Sæculorum non interpretatur facultatem a Chriſto datam remittendi peccata, ac ſi data fuerit ſub eo onere, modo, aut conditione, *dummodo inter confeſſionem, & remiſſionem ſit dilatio:* De hoc Poſtulato non dubitant adverſarii, qui proinde hanc praxim poſteriorum Sæculorum non negant, ſed improbant, & improbando fatentur. Id jam audiſti ex verbis Sancyrani, ex tribus propoſitionibus Arnaldinis XVI. XVII., XVIII. damnatis per Alexandrum VIII. Queſnellus ipſe in *Cauſæ Arnaldinæ Præfatione* fatetur, quod occaſione *Libri de Frequenti Communione pene ad ignem ille* (Arnaldus) *depoſceretur* -- Utique propter contrariam ubique praxim. Is ipſe Janſenianus, qui Librum ſcripſit contra Documentum Paſtorale Centum Galliæ Epiſcoporum, fatetur, quod Queſnellus in ſuis propoſitionibus per Clementem XI. proſcriptis -- *dici potuit condemnare praxim, quæ nonniſi nimium in Eccleſia communis eſt, & infinitas quotidie animas barathro tranſcribit* -- Hæc impudens Scriptor.

Poſtulatum III. Onus impugnandi præſentem praxim, ideoque & onus contra illam probandi eſſe Queſnelliſtarum, & quicunque cum Queſnellianis conſpirant. Nos enim ſumus rei conventi, ipſi Actores, qui praxim præſentem, quæ in poſſeſſione ſtat, adoriuntur, & acerbiſſime inſectantur, & conviciantur: Accepiſti pauca ex Janſeniſta contra Documentum Centum Galliæ Epiſcoporum ſcribente: Vide cap. 1. p. 3. Non inutile erit indicare Autographum ſervatum Pariſiis in Bibliotheca Regia, Teſte D. De Targy, *Acte de Denonciation &c.* „ quo denunciatur Eccleſiæ univerſæ, & futuro „ Concilio Libero, & Œcumenico Moliniſmus, Suariſmus, „ Sfondratiſmus, quod formales Hæreſes doceant, quibus, „ inquit, addo denunciationem Bullæ *Unigenitus*, quippe „ complectentis monſtroſos hos omnes exceſſus „ Poſtulatum hoc tertium affine illi eſt, quod ſtatuit Bellarminus L. 4. de Euch. cap. 24. §. *Porro in hac quæſtione* -- contra negantes licitam Communionem ſub una ſpecie.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum licet Adverſariorum ſit probare, noſtrum reſpondere, tamen ea bonitas eſt Cauſæ, quam propugnamus, ut adverſarios probationibus noſtris aggredi velimus:

Præmittimus Doctrinam catholicam contradictoriam duabus Queſnellianis: Quam deinde ad unam tantum Propoſitionem revocabimus.

„ *Non eſt* Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate dare animabus tempus portandi cum humilitate & „ ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & „ contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei „ antequam reconcilientur „ Hæc contra Queſnellianam 87.

„ *Non* ignoramus quid ſit peccatum, & vera Pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem „ Hæc contra Queſnellianam 88.

At quo expeditior ſit impugnatio ad unum aliquod breve caput diſputatio omnis contra geminas haſce propoſitiones revocanda eſt. Id ut fiat, obſervo ex duplici ratione duci Adverſarios, ut neceſſariam *regulariter* putent moram non brevem inter Confeſſionem, & Abſolutionem, nempe 1. ut opera ſatisfactoria exercita a Pœnitente, intermedio hoc tempore, idoneum dolorem excitent, qui alioquin ſperari non poteſt. Patet hoc ex verbis Queſnellianæ Propoſitionis 87. *petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis*, quod etiam aperte ſignificant teſtimonia ſupra tranſcripta ex auctoribus Queſnello conſentientibus. 2. Ut per eadem ſatisfactoria opera ante abſolutionem exercita Pœnitens *incipiat ſatisfacere Juſtitiæ Dei*, quæ verba ſunt Queſnelli Propoſitione 88. Idem habent ſectatores alii Arnaldi, ſive Queſnelli. Rituale Aletenſe a Clemente IX. proſcriptum ita habet pag. 91. „ Ideo „ ſatisfactio præmittenda eſt abſolutioni, quia ratio naturalis „ oſtendit non debere expectari reconciliationem ab homine „ offenſo, niſi reparata prius injuria, vel data ſatisfactione „. Inter Axiomata *Critici ſpiritualis*, alias *Ægidii Candidi* hæc duo leguntur. „ Exercitium operum pœnalium non tantum „ neceſſarium eſt ad ſatisfactionem pœnarum, quæ reliquæ

„ ma-

„ manent, ſed etiam ad remiſſionem culpæ, ſive reconciliationem cum Deo: Nihil clarius eſt quam ſatisfactionem plane deſtrui, ſi ſequamur hoc principium „ Satisfactio non eſt neceſſaria ad deletionem culpæ: „

His poſitis, ut omnia breviter complectamur hanc Aſſertionem ſtatuimus, quæ ſi rite probetur, evertit utrumque fundamentum Queſnellianæ Dilationis: „ NULLA EST DISPOSITIO NECESSARIA AD RECONCILIANDUM PŒNITENTEM, QUÆ REQUIRAT REGULARITER MORAM TEMPORIS, QUA ABSOLUTIO DIFFERATUR POST CONFESSIONEM: TAMETSI NONNVLLÆ CIRCUMSTANTIÆ INCIDANT, IN QUIBUS ABSOLUTIONIS DILATIO, AUT OPPORTUNA, AUT NECESSARIA SIT „.

CAPUT III.

Aſſertio Dogmatica propoſita probatur quatuor argumentationibus petitis ex Sacra Scriptura: Locus ille S. Script. „ In quacumque hora ingemuerit peccator ſalvus erit „ vindicatur a Criticis Cenſuris Arnaldi.

ARgumentatio I. ex Pſal.94. „ Præoccupemus faciem ejus „ in confeſſione . . . . Adoremus & procidamus ante „ Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos . . . . . Hodie, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra „. Omnes indefinite peccatores, proindeque etiam ii, qui actu verſantur in ſuis flagitiis nihil de pœnitentia cogitantes, invitantur tamen a Deo, ut *hodie*, *ſi vocem ejus audiant*, *convertantur*: optime ſiquidem Auguſtinus in hunc locum: „ Alloquitur, inquit, plebem ſuam Deus, non ſolum illam „ plebem ſuam, quam non repellet, ſed omnem plebem „ ſuam „. Ergo etiam hujuſmodi peccatores poſſunt audire vocem Domini, converti, idque ſtatim, ſive *hodie*: Hinc S. Baſilius Hom. in S. Baptiſma tom.2. editionis Garnier, Ille (Diabolus) dicit: *Hodiernum mihi*, *craſtinum Deo*, *Deus contra vociferatur*, *hodie vocem meam audite*: Ergo multo magis *Pœnitens*, in quo „ juſtificationis exordium a „ Dei

Digitized by Google

„ Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumitur, qua „ nullis ejus exiſtentibus meritis vocatur, ut qui a Deo „ averſus erat, per ejus excitantem, atque adjuvantem gra„ tiam ad convertendum ſe, ad ſuam juſtificationem diſpo„ natur „ quæ verba tranſcripta ſunt ex Tridentino Seſſ.vi. de Juſtificat. cap.v. *Pænitens* qui ſaltem „ peccatorem ſe eſſe „ intelligens a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concuti„ tur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertens in „ ſpem erigitur fidens Deum ſibi per Chriſtum propitium fore „: quæ verba tranſcripta ſunt ex Seſſ.vi. cap.6. *Pænitens*, in quo ſit „ contritio, primum locum inter pœnitentis actus „ habens, animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo „ cum propoſito non peccandi de cætero ... in homine poſt „ baptiſmum lapſo præparans ad remiſſionem peccatorum „: *Pænitens*, qui „ poſtquam diligentius ſe excuſſerit, & con„ ſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea „ peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum „ mortaliter offendiſſe meminerit „: ut ait Tridentinum ſeſſ.14. c.v., ideſt ut brevi complectar, *Pænitens* qui conſuetas præparationes a Cathechiſmis omnibus requiſitas habeat, multo inquam magis poterit is, regulariter loquendo, habere ſtatim reconciliationis gratiam, nec ejus abſolutio protrahenda, niſi obſtent per accidens exceptiones, ſive in Inſtructionibus S. Caroli rite intellectis contentæ, ſive in aliis idoneis Eccleſiaſticis monumentis. Divino itaque, non humano ſenſu iſta expendenda ſunt; quis enim neſciat naturæ viribus, neque parvo, neque longo tempore ſpiritum compunctionis obtineri poſſe?

Habenda itaque præ oculis, quæ leguntur Eccleſiaſtici cap.xi. „ Ne manſeris in operibus peccatorum: Confide au„ tem in Deo, & mane in loco tuo: Facile eſt enim in „ in oculis Dei *ſubito* honeſtare pauperem „: Quare merito S. Baſilius, (quem ſæpe Arnaldus in rem ſuam citare audet) Homil. in S. Baptiſma num.4. „ Ingredere in con„ clave animæ tuæ, revolve geſtorum tuorum memoriam: „ ſi multa ſunt peccata tua, ne deſperes ob multitudinem: „ ubi enim abundavit delictum, ſuperabundavit gratia, ſi „ modo

Digitized by Google

„ modo gratiam ſuſcipias „ : quæ verba obiter notanda ſunt a Janſenianis negantibus gratiam ſufficientem , & indifferentem . Et num.6. „ Ubi prompta voluntas eſt , quod impediat , *ni-* „ *hil eſt* „ . Imo jam Homilia eadem a num. 1. dixerat : „ Ignoras quid ſequens dies paritura ſit , ne tibi promitte , „ quæ tua non ſunt . Ad vitam te vocamus , quid fugis vo- „ cationem ab bonorum participationem ? quid donum præ- „ termittis ? Apertum eſt Cœlorum regnum : verax eſt, qui „ vocat , via facilis , *non tempore* , non ſumptu, non labore „ opus eſt, quid *differs* , quid *tergiverſaris?* „ Quæ omnia falſo dicerentur ſi neceſſaria eſset aliqua diſpoſitio , quæ diuturnam temporis moram requirat .

Confirmatur 1. hæc argumentatio ex tam multis divinis adhortationibus ad celerem converſionem , *intentato etiam metu mortis* ; quæ ad ſingula momenta ſupervenire poteſt : Ecclci. cap.17. „ Convertere ad Dominum , & derelinque „ peccata tua ... Revertere ad Dominum , & avertere ab „ injuſtitia tua ... Non demoreris in errore impiorum , an- „ te mortem confitere ... Quam magna miſericordia Domi- „ ni , & propitiatio illius convertentibus ad ſe „ : Similia in cap.18. „ Memor eſto , quoniam mors non tardat .... „ Non defrauderis a die bono , & particula boni doni non „ te prætereat ... Da & accipe , & juſtifica animam tuam. „ Ante obitum tuum operare juſtitiam , quoniam non eſt „ apud inferos invenire cibum „ . Ex his argumentor in hunc modum : Vel iſta omnia , aliaque ſexcenta hortantur nos , ut juſtificemus animas noſtras poſt hebdomadam , menſem , annum , aut annos , quæ ridicula , imo blaſphema ſunt, vel ſi nos hortantur, ut id *ſtatim* præſtemus, regulariter *poſſumus ſtatim* , ac ſine longis dilationibus juſtificare animas noſtras : Quod ſane poſtulat ratio a Spiritu S. adducta : *memor eſto* , *quoniam mors non tardat* : Cum ergo poſſit poſt momentum mors obrepere , excitamur , ut *ſtatim* convertamur: Quare quidquid neceſſariæ diſpoſitionis requiritur , Dei auxilio ſtatim habere poſſumus .

Confirmatur 2. peculiariter ex cap.5. Eccleſiaſtici . „ Ne- „ que adjicias peccatum ſuper peccatum , & ne dicas miſe-

„ ra-

Digitized by Google

„ ratio Domini magna eſt : multitudinis peccatorum meorum „ miſerebitur : miſericordia enim, & ira ab illo *cito* proxi- „ mant, & in peccatores reſpicit ira illius : *Ne tardes* con- „ verti ad Dominum, & *ne differas de die in diem* : *ſu-* „ *bito* enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ di- „ ſperdet te „ Ex quo loco ſic colligitur : Hortatur Deus, ut hac die convertar, neque expectem ſequentem, ergo hac die poſſum nedum inchoare, ſed perficere converſionem meam, quantum ſatis ad præcavendam vindictam Dei. Præterea non ſolum hortatur, ut hac die, ſed ut hoc præſenti tempore convertar; dicit enim *ne tardes* : tardat autem, qui vocatus hora prima differt ad ſecundam, multoque magis, ſi differat ad duodecimam : & ut olim Auguſtinus l. 8. Conf. c.5. *reſpondeat verba lenta, & ſomnolenta : modo, ecce modo* : *ſine paululum* -- Tandem obſerva cauſalem, quam adducit Spiritus Sanctus : *ſubito enim veniet ira illius* : quæ conſonant præcedentibus -- *Ira ab illo cito proximat* : Cum autem ira hæc ſupervenire momento quocunque ſequenti poſſit, ſi quid valet ea divina adhortatio, evincit me differre non debere neque uno minimo tempore, ideoque & poſſe hoc ipſo vocationis momento converti :

Argumentatio II. ſit ex Pſalmo XXXI. v.5. „ Dixi : „ Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu „ dimiſiſti impietatem peccati mei „ : ſive ut legit Auguſtinus „ Pronunciabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, „ & tu dimiſiſti impietatem cordis mei „. Sed audiamus argumentantem ipſum Auguſtinum Enarratione 2. in hunc Pſalmum. „ Non jam pronuntiat : promittit ſe pronuntiaturum, „ & ille jam dimittit : Attendite fratres; magna res : Dixit „ Pronuntiabo : non dixit : Pronuntiavi, & tu dimiſiſti : Di- „ xit Pronuntiabo : oſtendit quia nondum ore pronuntiaverat, „ ſed corde pronuntiaverat : Hoc ipſum dicere, Pronunciabo : „ Pronunciare eſt : ideo & tu dimiſiſti impietatem cordis mei : „ Confeſſio ergo mea ad os nondum venerat : verumtamen „ Deus audivit vocem cordis mei : vox mea in ore nondum „ erat, ſed auris Dei jam in corde erat „. Quo pacto itaque verum eſt illud Gaſparis Juvenin, in Commen. Hiſt. Dogm.

Digitized by Google

Diſſer.VI. q.9. c.4. „ *Toti antiquitati* fuiſſe perſuaſum, con„ tritionem non eſſe unius diei opus, ſed multorum men„ ſium, imo & nonnumquam annorum „ Quis autem ſatis explicet, quantum detrimentorum in Fidelem Dei populum redundet, dum audiunt, aut legunt hæc tam intrepide dici, & dictatoria quadam gravitate pronunciari a magnis cæteroquin viris, magnæque famæ in literaria republica? *At enim magni viri ſunt*: Hæc ſcilicet Apologia ſatis eſt nonnullis aut legentibus, aut audientibus, quos tamen pro merito redarguit S. Auguſtinus in Pſalmum 31. Enarrat.2. num.16.

In eamdem ſententiam, quam ſupra retulimus ex S.Auguſtino, conſpirant alia S. Doctoris verba in Pſalmum 57. ver.10. num.20. „ Pœnitentia hujus temporis dolor medici„ nalis eſt... Dixi pronunciabo adverſum me delictum meum „ Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei: *modo* „ fac, *modo* compungere.

Argumentatio III. ſit ex Ezechielis capitibus 18., & 33. tum ex Iſaiæ cap.30. Atque imprimis Ezechiel cap.18. ver.21. „ Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis „ ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, „ & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet, & non mo„ rietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non „ recordabor: in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet „: Sermonem propheticum eſſe de impio non vulgari, ſed graviſſimis, plurimiſque ſceleribus inquinato patet ex toto eo capite 18. Cum dicitur, Si egerit pœnitentiam... & *cuſtodierit omnia præcepta mea &c.* omnino hæc intelligi non debent, nec poſſunt de cuſtodia omnium præceptorum *in re*, *& executione*; ſed in voto, ac propoſito ſincero: Nam cuſtodia præceptorum omnium in re complectitur totum vitæ tempus: quare ſi ea prærequireretur, nonniſi ultimo vitæ momento obtineri poſſet juſtificatio: Jam vero, quod hujuſmodi pœnitentia ſincere proponens cuſtodiam omnium præceptorum haberi poſſit celerrime, conſtat non modo ex contextu hujus capitis 18. ſed multo magis ex capite 33., ubi iterum de hoc argumento: Itaque verſu 12. hæc legimus: „ Tu „ itaque fili hominis dic ad filios populi tui: Juſtitia juſti

„ non

Digitized by Google

„ non liberabit eum in quacumque die peccaverit, & im-
„ pietas impii non nocebit ei in quacunque die converſus
„ fuerit ab impietate ſua „. Quæ verba clare ſupponunt, quod ſicuti data quacumque die, ſive tempore tranſitus fieri poteſt a juſtitia ad injuſtitiam, ita etiam ab injuſtitia ad juſtitiam nulla prolixa hebdomadarum, aut menſium interpoſita neceſſaria præparatione, quæ ſi neceſſaria eſſet, verba illa prophetica eſſent de falſo ſuppoſito.

Hæc argumentatio nequaquam innititur illis verbis: *In quacumque hora ingemuerit peccator, ſalvus erit*: De quibus Arnaldus l. de Freq. Comm. par. 2. c. 39. acerrimam cenſuram tulit, quæ reſponſionem meretur, ut etiam obiter appareat Novatorum quantumcunque Eruditorum genius plura, quæ pro ſe faciunt, intrepide aſſerendi animoſius, quam verius:
„ Non ſum neſcius, inquit, Arnaldus eos qui ſalutarem moram...
„ non probant, illis Ezechielis verbis niti conſueviſſe: *In*
„ *quacumque hora ingemuerit peccator, ſalvus erit*: ſed ut
„ hæc verba, inquit Arnaldus, a plurimis poſteriorum tem-
„ porum Scriptoribus Sacræ Scripturæ nomine afferantur, in
„ divinis tamen libris non extant, & quamlibet inveſtigent,
„ qui illa obtrudunt, nuſquam nec in Vulgari Editione, nec
„ in Hebraicis fontibus, nec in Septuaginta Interpretum Li-
„ bro, nec in Paraphraſi Chaldaica, nec in proba ulla, ſeu
„ nova, ſeu antiqua Verſione repererint. „

At reperit S. Cyrillus Alexandrinus Lib.3. in Iſaiam T.2. p.425., S. Cyprianus ſub finem Libri de Lapſis, & Epiſtola XXVIII. (nempe in Editione Pamelii) S. Pacianus Epiſtol.III. contra Novatianos, S. Hieronymus ſub finem Commentariorum, quos ſcripſit in Michæam Prophetam, S. Fulgentius Lib. de Fide ad Petrum, S. Gregorius Papa Epiſt.52. Libr.IX. Rupertus Lib.1. in Leviticum cap.19. Auctor Libri de Conflictu vit. & virt. cap.15. Tom.IX. op. Aug. Ed. Lov. Auctor Libri de vera & falſa Pœnit. S. Petrus Damiani Opuſculo 16. cap.1. Urbanus IV. in pſ.50. Quos omnes Auctores refert Petavius contra Arnaldum Lib.VII. de Pœnit. cap.XV.

Quibus præterea nos alios addimus: nempe S. Cyrillum Hieroſolymitanum Catech.2. *Recordatus illius, quod ſcrip-*

Digitized by Google

tum eſt, *cum converſus ingemueris*, *tunc ſalvaberis*: S. Hieronymum in Epiſt. ad Ruſticum de Pœnit. Edit. Veron. 147. al.48. *Audiamus .... per Jsajam*: *Quando converſus ingemueris*, *tunc ſalvus eris*, *&* *ſcies ubi fueris* -- Et in Epiſtola ad Sabinianum Edit. Veron.147. al.48., ubi eadem recitat, Et in Epiſ. ad Damaſum, quæ eſt 21. Editionis Veron. num.18., ubi legit magis emphatice -- *Statim*, *ut converſus ingemueris*, *ſalvus eris* -- S. Gaudentium Epiſc. Brixienſem Serm.1. ſive 1. Tractatu in Exodum Nocte Vigiliarum de Paſchæ obſervatione -- *Si* (Pœnitentes) *ingemiſcant ad Dominicum reſipiſcentes*, *&* *fugientes ab operibus nequiſſimis tenebrarum*, *lumen cœleſtis indulgentiæ conſequentur .... Scriptum eſt enim* -- *Cum converſus ingemueris*, *tunc ſalvus eris*, *&* *ſcies ubi eras*, *cum confidebas in illis* -- S. Ambroſium Lib.1. de Pœnit. cap.5. num.22. & Epiſt.67. num.11. -- *Quæ eſt voluntas Dei*, *niſi ea* : *cum converſus ingemueris*, *tunc ſalvus eris*: Luciferum Calaritanum Lib. de Regibus Apoſtatis -- *Cum converſus ingemueris*, *tunc ſalvus eris*. S. Cæleſtinum I. in Epiſtola ad Epiſc. Vienn., & Narb. cap.2. -- *Propheta hoc taliter atteſtante*: *cum converſus ingemueris*, *tunc ſalvus eris* -- S. Leonem in Epiſtola ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum, ubi eadem repetit : S. Fulgentium Epiſt. VII. ad Venantiam de recta pœnitentia, & futura tribulatione, & Lib.1. de remiſſione peccatorum cap.11. *Si converſus fueris*, *&* *ingemueris*, *ſalvus eris* : Victorem Tunonenſem Lib. de Pœnitentia cap.3. *Cum converſus fueris*, *&* *ingemueris*, *tunc ſalvaberis*: Eadem habet capite 6., & cap.15. -- S. Cæſarium in Sermone, qui eſt 256. in Append. Operum S. Auguſtini Tom.V., ubi num.2. -- *Secundum illud propheticum* -- *Peccator in quacunque die converſus fuerit*, *omnes iniquitates ejus oblivioni tradentur* -- *&* *illud* -- *In quacunque die converſus ingemueris*, *ſalvus eris* -- Eadem habet num.4. Hanc ſententiam leges in Epiſt. Joannis VIII. apud Baronium ad an.878. num.34.

Hæc ſane omnia, ſive quæ Petavius adnotavit, ſive quæ nos addidimus, ſatis, ſuperque erunt, ut pateat falſo dici ab Arnaldo, quod ea verba ſint *poſteriorum temporum*, cum ſint antiquiſſimorum Scriptorum: Falſo dici, quod ea verba *in nulla*

nulla proba, *ſeu nova*, *ſeu antiqua* lectione reperiuntur: Quæ enim protulimus, ſatis oſtendunt ea verba fuiſſe in ea, quæ dicebatur *Vetus Itala*, & obtinebat in Occidente ante Verſionem Hieronymi, imo etiam S. Gregorii ætate in uſu erat, neque prorſus antiquata eſt temporibus poſterioribus.

At præterea eadem lectio habetur apud Septuaginta Interpretes, & in Verſione Arabica, & Paraphraſi Chaldaica. Imo etiam ſuſcipere eam poſſunt Hebraicus Textus, & Vulgata noſtra. Sed quærenda ea lectio fuit, non in Capitibus 18. & 33. Ezechielis, qua in re iterum errat Arnaldus Parte 2. cap.39. pag.426.; quærenda potius Iſaiæ cap.30. v.15. ubi Hebraica ad verbum habet -- *Inquiete, & requie ſalvi eritis* -- Vulgata autem noſtra -- *Si revertamini*, *& quieſcatis*, *ſalvi eritis* -- Septuaginta autem optime, & clarius interpretantur de requie, ſeu ceſſatione a peccatis; Quod etiam indicant verba Vulgatæ noſtræ -- *Si revertamini* -- Nempe a peccatis: Itaque Septuaginta ſic habent -- *Cum reverſus ingemueris*, *ſalvus eris*, *& ſcies ubi fueris* -- Verſio Arabica habet -- *Cum converſus ſuſpirabis*, *tunc ſalvaberis*, *& ſcies*, *qualis eras* -- Paraphraſis Chaldaica -- *Si converſi fueritis ad legem meam*, *requieſcetis*, *& redimemini*.

Obſervandum eſt autem S. Hieronymum in Commentariis ad 30. cap. Iſaiæ Interpretationem proponere, quæ eſt in noſtra Vulgata -- Hæc dicit... Sanctus Iſrael: ſi revertamini, & quieſcatis ſalvi eritis -- Tum ita commentatur „ Sanctus... „ & per me, & per Jeremiam loquitur. Si agatis pœnitentiam, & vel vitia relinquitis, vel errorem deponitis, & „ maneatis in Judæa, non Babyloniorum impetum, ſed mea „ præcepta metuentes ſalvi eritis: quieſcite, & ſperate in „ Domino, & fidei in promiſſis meis robur arripite &c. „ Hunc ſenſum ex Hebræo tamquam literalem proponit Hieronymus; ac quamvis Hebræus Textus ſignificet quietem a fugiendo in Ægyptum, complectitur ex Hieronymo quietem a peccatis. Eumdem complexum literalem ſenſum Vulgatæ noſtræ exponunt alii Interpretes cum A Lapide in hunc locum: Quare non ſatis opportuna eſt obſervatio Theophili Alethini ad Petavium L.VII. de Pœn. Cap.XV.

At ſa-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA
Digitized by Google

At ſatis ſuperque nobis fuerit, quod addit Hieronymus: „ Juxta Anagogen, inquit, & LXX. editionem omnes ad pœ- „ nitentiam peccatores, & præcipue Hæreticos cohortatur „ ſermo divinus, quod cum reverſi à vitiis ingemuerint, & „ egerint pœnitentiam, ſalvi fiant „ Ex quibus habes tria doceri a S. Hieronymo I. ſpectato Textu Hebraico hujus loci ex cap.30. Iſaiæ, & Vulgata verſione in ſenſu literali agi de celeri remiſſione peccatorum in Hebræis fugientibus Babylonios, & eorum liberatione ab Ægyptiis: 2. Spectato eodem Textu Hebraico, & Vulgata verſione *juxta Anagogen*, ſeu in ſenſu Anagogico agi de omnibus peccatoribus, eoſque invitari ad celerem pœnitentiam, & veniam. 3. Spectata Verſione LXX. Interpretum de omnibus etiam peccatoribus agi, ut ſtatim convertantur, & veniam obtineant.

Dixi Caput 30. Iſaiæ verſu illo 15. *Si revertamini, & quieſcatis, ſalvi eritis*--etiam ſpectata Vulgata verſione, aut Hebraico Textu favere maxime nobis: Addo favere præterea nobis & quidem literaliter idem hoc Caput 30. verſu 19. ubi ſic „ Propterea expectat Dominus, ut miſereatur veſtri, „ & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus Judicii Do- „ minus; Beati omnes, qui expectant eum: Populus enim „ Sion habitabit in Hieruſalem; plorans nequaquam plorabis, „ miſerans miſerebitur tibi: ad vocem clamoris tui *ſtatim* „ ut audierit, reſpondebit tibi „ Non indigent hæc expoſitione S. Hieronymi, ex quo, ſi vis, hæc pauca accipe „ Poſt- „ quam clamaveris, & dixeris ad Dominum: Clamavi in „ toto corde meo, exaudi me Domine -- Et iterum -- Clama- „ vi, miſerere mei, & cuſtodiam mandata tua, -- & alibi -- „ Expectavi in matutino & clamavi -- Et tam clara fuerit „ vox tua, ut cœlos penetres, *ſtatim tibi Dominus reſpon-* „ *debit*, & eris ſimilis Moyſi, de quo ſcriptum eſt: Loque- „ batur Moyſes, & Dominus reſpondebat ei -- At omni Commentario præferenda Verſio Arabica, qua nihil eſſe poteſt magis contrarium Arnaldo „ Populus Sanctus habitabit in „ Sion, & Hieruſalem: Cum lacrymas fuderit, ac dixerit „ *Miſerere mei*: miſerebitur tui; *ſimul ac* viderit vocem „ clamoris tui, audiet te. „

Tan-

Digitized by Google

Tandem, ut Prophetarum Ezechielis, & Iſaiæ doctrina clarius eluceat, obſervandum eſt verba Ezechielis cap.33.-- Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua -- eumdem ſenſum habere atque illa alia Jſaiæ 30. ſecundum LXX. cum converſus ingemueris (οταν αποςραφεις ςεναξης) ſalvus eris: Quorum verborum vis eſt: *Statim* ac ad te reverſus gemes, ſive *eodem tempore*, *eodem momento*, *quando* ingemueris -- Idem Hæbræi, & Græci ſolent ita exprimere -- Quacunque die, vel quacunque hora -- Geneſis cap. -- In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris 2. Ideſt quocunque tempore, ſeu momento -- & Gen.3. In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri -- Idem eſt ſenſus Danielis cap. 3. In hora, qua audieritis ſonitum tubæ.... cadentes adorate ſtatuam -- Matthæi cap.8. -- Sanatus eſt puer in illa hora -- Quare Ezechiel, & Iſaias in eumdem ſenſum coincidunt.

Hæc paulo prolixius de Textu celeberrimo Scripturæ -- In quacunque hora ingemuerit peccator, ſalvus erit -- In quem Textum, eoſque omnes, qui eo utuntur, ita indignatur Arnaldus De Freq. Com. Par.2. C.39. p.427. „ Cui ergo liceat „ verbis, quæ nuſquam in Scripturis leguntur, abuti ad ſa„ lutem peccatori aliis legibus adjudicandam? „ Demonſtratum eſt nos adjudicare ſalutem, quam Deus veris Prophetarum vocibus denuntiavit.

Argumentatio IV. ex cap.3. Apocalypſeos „ Pœnitentiam „ age: Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: Si quis audierit vocem „ meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & „ cænabo cum illo, & ipſe mecum „ In quæ verba Concilium „ Senonenſe can.15. „ Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas li„ bero præjudicat arbitrio, cum illa ſemper in promptu ſit, „ & neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non „ ſtet ad oſtium, & pulſet, cui ſi quis aperuerit, intrabit „ ad illum, & cænabit cum illo „ Quibus conſonant illa Iſaiæ cap.65. & ad Rom.10. -- Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem -- Jam argumentatio in hunc modum conficitur. Vel hæc aperitio cordis pœnitentis, de qua hoc loco, & cui *ſtatim* adjungitur ſubingreſ-

greſſus Dei in animam, vel hæc inquam aperitio eſt facienda poſt hebdomadas menſes, annos, vel *ſtatim*? Si primus quis eſſe poteſt ſenſus magis ridiculus, quam qui exhibetur in hac divina allegoria? Quando enim contingit, ut quis pulſet ad obtinendam aperitionem poſt hebdomadam, menſem, aut annum? Vix in exemplis moralibus deſignabis duo, quorum ſucceſſiva conjunctio magis intendatur, quam pulſus januæ, & aperitio: Vel ſermo eſt de aperitione *ſtatim* facienda, & ſiquidem ita eſt, ergo iſta cordis aperitio *ſtatim facienda* ſupponitur a Sacra Scriptura, uti practice poſſibilis pro hominis vocati arbitrio: Secus enim hujus divini teſtimonii ſenſus omnino erit dignus homine ſtulto, ac ſi diceretur -- Si quis *ſtatim* Urbem ædificet, ſi quis montem *ſtatim* ſolo exæquet, ſi quis lethalem ægritudinem *ſtatim* curet -- Quæ ſcilicet *ſtatim* fieri non poſſunt.

Difficultatem ex hoc Apocaliypſeos teſtimonio vidit fortaſſe Arnaldus, qui vel auctor eſt, ut paſſim putatum eſt, Verſionis Gallicæ Novi Teſtamenti *Montibus Hannoniæ*, ut præfertur, editæ, quæque vulgo dicitur *Teſtamentum Montenſe* damnatum a Clemente IX. ſpecialibus Literis, tamquam *temerarium*, *damnoſum*, *a Vulgata editione difforme*, *&* *offendicula ſimplicium continens*, vel ſi auctor non eſt, ſaltem approbator eſt ejus Verſionis: Quare in Difficultatibus propoſitis D. Steayert -- Par. 6. pag. 47. -- Prohibitio illa, inquit, „ fuit abuſus manifeſtus Eccleſiaſticæ poteſtatis, & Epiſcopi, „ qui Cenſuram illam promulgant, & approbant, reos ſe pluri- „ morum conſtituunt peccatorum „ Ea autem Verſio Montenſis citata verba Apocalypſeos -- *Pœnitentiam age: ecce ſto ad oſtium, & pulſo* -- ſic invertit, ut præſenti tempori futurum ſubſtituat in hunc modum -- Pœnitentiam age, quia brevi ero ad oſtium, & pulſabo -- *Faites penitence, car je ſerai bientoſt a la porte, & je frapperay* -- At imprimis Verſio hæc nullius auctoritatis eſt, neque ſolum a Vulgata hoc in loco diſcordat, ſed ab ipſo Originali Græco, quod omnino ad verbum Vulgatæ conſentit: Deinde etiam prava hac verſione data, non eluditur vis argumentationis: Sive pulſus ſit præſens, ſive futurus, *ſtatim poſt illum* ſupponitur poſſibilis aperitio.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Aſſertionis Dogmaticæ Probationes ex Exemplis Scripturarum.

I. SIT *Exemplum* Chananæorum, quos paulatim ante adventum Moyſis, & Joſue exterminavit Deus, ut eos pœniteret criminum ſuorum, ergo *ſtatim* ante proximum excidium id poterant. Audi verba Sapientiæ Cap.XII. „ Illos „ enim antiquos inhabitatores Terræ ſanctæ tuæ, quos ex- „ horruiſti, quoniam odibilia opera tibi faciebant... perdere „ voluiſti per manus parentum noſtrorum...Sed & his, tam- „ quam hominibus, pepercisti, & miſiſti anteceſſores exer- „ citus tui veſpas, ut illos *paulatim* exterminarent. Non „ quia impotens eras in bello ſubjicere impios juſtis, aut „ beſtiis ſævis, aut verbo duro ſimul exterminare, *ſed par-* „ *tibus judicans dabas locum pœnitentiæ* „ Et poſt alia multa in hanc rem iterum ait „ Quoniam judicans *das locum* „ peccatis pœnitentiæ: Si enim inimicos ſervorum tuorum, „ & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione, dans *tem-* „ *pus, & locum*, per quæ *poſſent* mutari a malitia.... qui „ autem ludibriis, & increpationibus non ſunt correcti, di- „ gnum Dei judicium experti ſunt „ Niſi Deus iſta ſcribens, & Chananæos, & nos irrideat, quod blaſphemum eſt cogitare, poterant illi tam impii homines parvo eo tempore converti; Quare hæc converſio non neceſſario eſt opus longi temporis. Memineris autem Chananæos tot vitiis, tamque gravibus fuiſſe inquinatos, uti legere potes in Pentateucho Moyſis, & hoc ipſo Sapientiæ Libro, ut ſi communem Catholicorum vitam cum iis comparaveris, eam pene innocentem dixeris; Memineris præterea de illis catholicis nos loqui, qui conſuetas præparationes ad Sacramentum Pœnitentiæ præmiſerint, uti poſtulatur in Catechiſmis.

II. *Sit exemplum* ex Jona, & Ninive: Mitto quæ de celeri converſione ipſius Prophetæ ſignificantur Jonæ cap. 2. in ejus Cantico „ Clamavi de tribulatione mea ad dominum, „ & exaudivit me, de ventre inferi clamavi, & exaudiſti

„ vocem meam „ cum aliis quæ, ſequuntur: De Ninive dicendum, cujus--*aſcendit*, inquit Dominus Jonæ cap. 1. *malitia coram me*--De qua tam impia Civitate tria explicanda, ac probanda ſunt, 1. Pœnitentiam ipſius fuiſſe veram, ſinceram, juſtificantem; 2. Fuiſſe non in uno, aut altero, ſed in magno quodam numero civium, 3. fuiſſe celerrimam.

Igitur ut à primo exordiamur, in 3. cap. dicitur „ Cæpit „ Jonas introire in civitatem itinere diei unius, & clamavit, & „ dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur: Et „ crediderunt Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium, „ & veſtiti ſunt ſaccis a majore uſque ad minorem „ Habemus hic imprimis veram fidem in Deum: deinde fidei fructus valde commendandos -- Hinc illa alia „ Et pervenit verbum „ ad regem Ninive, & ſurrexit de ſolio ſuo, & abjecit ve„ ſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere: „ Et clamavit, & dixit in Ninive ex ore regis, & Principum „ ejus dicens: Homines & jumenta, & boves, & pecora „ non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bi„ bant & operiantur ſaccis homines, & jumenta, & clament „ ad dominum in fortitudine „ Hæc autem non ſpectaſſe tantummodo ſuſpenſionem veluti quandam a ſceleribus exterius perpetrandis, ſed veram interiorem coram Deo Pœnitentiam, ſatis oſtendunt, quæ ſequuntur „ Et convertatur vir a via „ mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum: Quis „ ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus, & revertatur a furore iræ ſuæ, & non peribimus? „ Multo magis id oſtenditur ex Dei ipſius teſtimonio, cujus hæc verba ſubjiciuntur „ Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via „ ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam „ locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit: „ Quæ omnia confirmantur teſtimonio Chriſti apud Matth. Cap. XII. „ Viri Ninivitæ ſurgent in Judicio cum generatione iſta, & „ condemnabunt eam, quia Pænitentiam egerunt in prædi„ catione Jonæ, & ecce pluſquam Jonas hic „ Quod ipſum repetitur Lucæ Cap.XI. Quibus in locis ad confundendos Judæos veram pœnitentiam non agentes, eoſdemque excitandos, ut veram tandem pœnitentiam amplectantur, utitur exem-

Digitized by Google

exemplo pœnitentiæ Ninivitarum ad Jonæ prædicationem: Quæ quidem Ninivitarum pœnitentia, ſi ficta, & exterior tantum fuit, quid ineptius hoc exemplo eſſe potuit? Quapropter ſi quos Ninivitas Deus dicit *converſos à via ſua mala*, dicit *pœnitentiam egiſſe*, eamque pœnitentiam, quæ meruerit adduci in exprobationem Judæorum, eorumdemque ad hortationem, eoſdem nos dixerimus falſam quandam pœnitentiam, ſeu pœnitentiæ ſimulationem exhibuiſſe, quid tandem in Sacris Scripturis non licebit depravare, & ad ſenſus noſtros detorquere? Eoque magis, quod Tridentinum Seſſ.14. cap.4. eamdem pœnitentiam commendavit „ Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt „ Profecto de ſincera Ninivitatem pœnitentia ne dubitavit quidem Auguſtinus, quoties multis in locis eam commemorat. Lib.XXI. de Civ. cap.24. „ Ninivitæ in hac vita pœnitentiam egerunt, & ideo fructuoſam; velut in hoc agro ſeminantes, in quo Deus voluit cum lacrymis ſeminari, quod poſtea cum lætitia meteretur..... Evertuntur homines... ſicut Ninivitæ, ut ipſa hominum peccata pœnitendo deſtruantur.... Everſa eſt Ninive, quæ mala erat, & bona ædificata eſt, quæ non erat. Stantibus enim mœnibus, atque domibus, everſa eſt Civitas in perditis moribus „ Eadem habet Auguſt. Serm.361. alias de diverſis 120. cap.21. Eadem in Pſal.49. v.21. & in Pſal.50. verſ.8. „ Reſpice quæ fuit Ninive, & vide quia everſa eſt, everſa in malo, ædificata in bono, ſicut everſus Saulus perſecutor, ædificatus eſt Saulus prædicator.

Senſum Vulgatæ noſtræ declarant optime verba Antiquæ Vulgatæ, quam concordantem cum ſeptuaginta Interpretibus ſequuta ſunt priora Eccleſiæ ſæcula; Quare & illa declarat quiſnam fuerit ſenſus priorum Patrum. Quod Jonæ.cap.3. verſu 8. Vulgata noſtra non factum, ſed faciendum dicit „ Et operiantur, inquit, ſaccis homines, & jumenta, & clament ad dominum in fortitudine, & convertatur vir a via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum „ Idipſum Vulgata antiquæ Eccleſiæ enunciabat tam-

Digitized by Google

quam factum „ Et cooperti ſunt ſaccis homines, & jumenta, „ & clamaverunt ad Dominum vehementer, & reverſus eſt „ unuſquiſque de via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt „ in manibus eorum „ Videatur P. Petrus Sabatier in *Veteri Italica* ad hunc locum: Ita etiam legunt Lucifer Calaritanus L. 2. pro S. Athan., Irenæus L. 3. cap. 20., Aug. L. 2. cont. Gauden.

Cum autem ex communi doctrina, ipſiuſque imprimis Auguſtini, pœnitentia juſtificans ante Chriſtum, Dei, & Juſtitiæ delectationem habere debuerit, requiſitam hanc caritatis perfectionem quiſquis Ninivitis negaverit, is repugnabit tranſcriptis Sac. Scripturæ, & Auguſtini teſtimoniis, quibus de pœnitentia Ninivitarum, iiſdemque converſis a via mala edocemur „ Itaque ſi credere oportet accedentem ad „ Deum, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit „ ut in Ep. ad Hebr. cap. XI. cum Jonæ cap. 3. dicitur -- *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum* -- ſubintelligendum utique, quod in Deum remuneratorem crediderint, ex qua Fide ſpes naſcitur: ſubintelligendum quod ea fides fuerit per dilectionem operans; Nam ut ait Aug. Lib. 1. Soliloquiorum Cap. VI. Sine tribus iſtis, (Fide, Spe, Caritate) anima nulla ſanatur -- Sapienter igitur Tridentinum Seſſ. 14. cap. 4. ait „ Hoc „ timore concuſſi utiliter Ninivitæ ad Jonæ prædicationem „ plenam terroribus pœnitentiam egerunt „ Agebatur enim de Lutheranis revincendis, qui ex gehennæ, & pœnarum metu fieri hominem peccatorem, & magis hypocritam docebant; quod Ninivitarum exemplo optime refellebatur, at eos pœnitentiam egiſſe *ſolis* terroribus plenam, neque dixit Concilium, neque dicere potuit ſalvis Scripturis, Patrumque doctrina, ex quibus duo habemus, & ſufficientem converſionem ante Sacramentum ſine caritate non haberi, & Ninivitas converſos a via ſua mala, pœnitentiam egiſſe; Itaque in Ninivitis locum habuit, quod ſæpe iterat Auguſtinus -- Pietas timore inchoatur, caritate perficitur -- Lib. de Vera Relig. c. 17. -- Time vel pœnam, ut pervenias ad amandam juſtitiam -- Tract. 41. in Jo: num. 10. Niſi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem. Enarr. in Pſal. 149. n. 14

Hacte-

Digitized by Google

Hactenus veram fuiſſe Ninivitarum pœnitentiam, & cum eorum Juſtificatione conjunctam probavimus: Oſtendendum eamdem non paucorum hominum fuiſſe, ſed plurimorum: Ninive erat *Civitas magna itinere trium dierum*, Jonæ cap. 3. „ Non parcam, inquit Deus cap. 4., Ninive Civitati „ magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia ho- „ minum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram „ ſuam „ Nempe infantium ſine uſu rationis. Intelligis ex his proportionalem numerum, eumdemque vaſtiſſimum adultorum pœnitentium. Nihil utique cogit, ut dicamus omnes omnino adultos Ninivitas *diſtributione*, ut ajunt Logici, *completa* pœnitentiam juſtificantem egiſſe: Fuerit itaque aut major, aut certe magna eorum pars, quanta ſcilicet ſatis ſit, ut uſitato loquendi more, indefinite dicantur habitatores Ninive converſi a via ſua mala, & pœnitentiam egiſſe. In magnam hanc multitudinem cadunt verba Auguſtini Serm. 361. c.21.„ Quid erat Ninive? Manducabant „ & bibebant, eme- „ bant, vendebant, plantabant, ædificabant, perjuriis va- „ cabant, mendaciis, ebrietatibus, facinoribus, corruptio- „ nibus: Hæc erat Ninive. Attende modo Ninive: Plan- „ gunt, dolent, contriſtantur, in cilicio, & cinere, in jeju- „ niis, & orationibus? Nempe everſa eſt, quia non in il- „ lis ſuperioribus actibus conſtituta eſt. „

Tandem oſtendendum immenſæ ejus multitudinis pœnitentiam cum converſione a via ſua mala *celerrimam* fuiſſe, quò doceamur non ſuperbe præſcribere *tarda molimina Spiritus Sancti gratiæ*: Hanc celeritatem exhibet Sacer Textus Jonæ cap.3. „ Et cæpit Jonas introire civitatem itinere diei „ unius, & clamavit & dixit; Adhuc quadraginta dies, & „ Ninive ſubvertetur, & crediderunt viri Ninivitæ in Deum, „ & prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis a majore „ uſque ad minorem „ Ex his probatur celeritas converſionis: Nam hæc converſio facta fuit ad prædicationem Jonæ -- *Adhuc quadraginta dies* -- Atqui prædicatio ſic inquiens -- *Adhuc quadraginta dies*, fuit ſub initium, & primo ipſo die prædicationis: Illud enim tempus primum vere diſtabat quadraginta diebus a die exitii, quod Dominus comminatus fuerat: Se- quen-

Digitized by Google

quentibus diebus, ſi prædicatio perduravit, non amplius dictum eſt, nec dici potuit -- *Adhuc quadraginta dies* -- Quare licet prædicatio conſequentium dierum, converſionem primo die factam confirmaverit, non inchoavit. Imo cum Civitas eſſet itineris trium dierum, & primo die non niſi tertia ſui parte circumiri poſſet, idcirco plurium interpretatio apud S. Hieronymum in Commentario hujus loci fuit, *quod tertia tantum parte urbis prædicaverit, & ad reliquas confeſtim prædicationis ſermo compleverit* -- Quod tamen minime nobis neceſſarium eſt; Sed confirmat quam accuratus fuerit Hieronymus in hac converſionis celeritate vindicanda. Idem etiam apparet ex ſequentibus: „ Et pervenit verbum ad Regem Ni- „ nive & ſurrexit de Solio, & abjecit veſtimentum ſuum a ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cenere „ Omnem moram excludunt eæ voces *Pervenit, & ſurrexit de ſolio*: Quam eamdem celeritatem innuebant ſuperiores voces „ Cæpit Jo- „ nas .... & dixit, adhuc quadraginta dies, & crediderunt „ Viri Ninivitæ „ De hac celeritate non dubitant Patres. Hinc Chriſoſtomus L. 1. de orando Deo „ *Simul enim atque illos* „ (Ninivitas) cæpit deprecandi ſtudium, juſtos reddidit, ac „ Civitatem, quæ jam aſſueverat laſciviæ, malitiæ, breviter „ vitam exlegem, & iniquam vivere, *ſtatim* correxit..... „ Sane ſi quis tunc ingreſſus fuiſſet Civitatem Ninivitarum, „ qui prius eamdem probe noviſſet, nequaquam agnoviſſet „ eam: adeo repente a turpiſſima vita ad pietatem reſilue- „ rant. „ Et Homil. *Quod nemo læditur, niſi a ſe ipſo* „ Ni- „ nivitæ, inquit, converſi ſunt ad timorem Dei, abjectiſque „ *continuo* prioris vitæ malis ad virtutem ſe, ac juſtitiam „ per pœnitentiam contulerunt „ Ac ſane Patres præcipue priorum quatuor Sæculorum, apud quos cum Septuaginta Interpretibus vulgata lectio erat *Adhuc tres dies, & Ninive ſubvertetur* vel nullam pœnitentiam agnoſcere potuere, vel celerem. Audi Auguſt. in Pſal. 49. v. 21. „ Jam quia dicit iſta, „ Fratres, deſperandus eſt ille, cui dicitur? Nonne illa Ci- „ vitas, de qua dictum eſt, *Triduum, & Ninive evertetur*, „ intra triduum idonea fuit converti, orare, plangere, de „ pœna imminenti miſericordiam promereri? Audiant ergo

„ qui

Digitized by Google

„ tales ſunt, dum licet audire. „ Tandem in corfirmationem eorum, quæ diximus, obſervandum Ninivitarum pœnitentiam in exemplum ſolere a Patribus afferri, & ad aliorum imitationem extorquendam. Satis ſit unus Chryſoſtomus Homil. V. ad Pop. Antioch. pag.67. „ Ninive.... portus quidam optimus ex illo tempore peccantibus extitit, in deſ„ perationem cadere non permittens, ſed omnes ad pœni„ tentiam vocans, & per ea, quæ fecit, & per Dei pro„ videntiam eſt aſſequuta -- Repete, quæ modo tranſcripſimus ex Auguſtino -- *Audiant ergo, qui tales ſunt*.

Sit III. *Exemplum* Judæorum ſub Ezechia Rege Judæ Eccclefiaſtici cap.48. „ In diebus ipſius (Ezechiæ) aſcendit Sen„ nacherib.... Tunc mota ſunt corda, & manus ipſorum, „ & doluerunt quaſi parturientes mulieres; Et invocaverunt „ dominum miſericordem, & expandentes manus ſuas extu„ lerunt ad Cælum, & Sanctus Dominus Deus audivit *cito* „ vocem ipſorum. Non eſt commemoratus peccatorum illo„ rum, neque dedit illos inimicis ſuis, ſed *purgavit eos* in „ manu Jſaiæ Sancti Prophetæ „ Igitur non quidem omnes, & ſinguli, (non enim id neceſſe eſt ad veritatem Sacræ Hiſtoriæ) ſed multitudo Judæorum ea occaſione vere converſa eſt ad Deum *purgata* in manu Iſaiæ Prophetæ: Idem autem factum eſt *cito*, auditis minis Sennacherib.

IV. *Exemplum ſit* ex pœnitentia David Regum 2. cap.XI. & XII. qnæ occaſionem dabit exponendæ inſignis doctrinæ S. Auguſtini de *Neceſſaria punitione ſui* ad veniam obtinendam, cujus doctrinæ tam magnus eſt abuſus apud Arnaldum *Parte II. Lib. de Freq. Comm*: Itaque narrato Adulterio, & Homicidio Uriæ ſine ullo pœnitentiæ ſigno uſque ad Bethſabeæ partum, ideſt novem menſibus, hæc ſubjiciuntur „ In„ troduxit eam in domum ſuam, peperitque ei filium, & „ diſplicuit verbum hoc, quod fecerat David coram Domi„ no. Miſit ergo Dominus Nathan ad David „ cui ſcilicet ſcelus ſuum patefaceret: Notanda illa verba -- *Tu es ille Vir* -- Non enim, inquit, *tu eras*, vel *fuiſti*: Quibus verbis, totoque prolixæ increpationis contextu Nathan de David loquitur, tamquam de peccatore adhuc impœnitente: „ Et dixit

„ David

Digitized by Google

„ David ad Nathan: Peccavi Domino, dixitque Nathan ad „ David -- Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: Non „ morieris „ Merito S. Auguſtinus in Pſal.50. v.8. n.11. -- Cum enim dixiſſet, ſtante, arguente ſe Propheta *Peccavi*: *ſtatim* audivit a Propheta, ideſt a Spiritu Dei, qui erat in Propheta: *Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum*.

Jam vero hæc Davidis Pœnitentia utique celerrima, quam *ſtatim* ſequuta eſt peccatorum, quantum ad culpam remiſſio, licet non integra, & perfecta etiam quantum ad omnem temporalem pœnam, a SS. PP. & præcipue ab Auguſtino non in merum miraculum proponitur, qnod vellet Arnaldus, de Freq. Com. Par.2. c.12., ſed in exemplum: Hinc Auguſtinus in Pſal. 50. ſub initium num.5. „ Si vero aliquis „ jam lapſus hæc audit, & aliquid in conſcientia mali tenens, „ verba Pſalmi hujus advertat, adtendat quidem vulneris magnitudinem, ſed non deſperet medici majeſtatem. Peccatum cum deſperatione certa mors. Nemo ergo dicat: *Si* „ *jam aliquid mali feci, jam damnandus ſuum: Deus malis* „ *talibus non ignoſcit: Cur non addo peccata peccatis? Fruar* „ *hoc ſæculo in voluptate, in laſcivia, in cupiditate ne-* „ *faria, jam perdita ſpe reparationis; vel hoc habeam quod* „ *video, ſi non poſſum habere, quod credo*. Iſte ergo Pſalmus, ſicut cautos facit eos, qui non ceciderunt, ſic deſperatos eſſe non vult, qui ceciderunt. Quiſquis peccaſti, „ & dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo, deſperando „ ſalutem tuam, audi David gementem. Ad te Nathan „ Propheta non eſt miſſus, ipſe David ad te miſſus eſt „ Si quemadmodum igitur David in Nathan audiendo, ita Chriſtianus peccator in audiendo Davidico Pſalmo, vel Confeſſario, qui hæc, aut ſimilia in Spiritu caritatis ad aures cordis immittat, uterque ex corde dicat *Peccavi Domino*, uterque audiet *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*: *Non morieris* -- Quare pergit Auguſtinus -- „ Audi eum (Davidem) „ clamantem, & ſimul clama „ audi gementem, & congemiſce, audi flentem, & lacrimas junge, audi correctum „ & condelectare. „

Dicent fortaſſe Arnaldiſtæ, cum Queſnellianis: Auguſtinus

ſtinus in Commentario hujus Pſalmi 50. ſæpe requirit ad remiſſionem, ut peccator ſe ipſum puniat, ergo neceſſaria ſunt opera ſatisfactoria, quæ parvo, ac modico tempore exhiberi non poſſunt: Antecedens probari poſſet ex his, quæ habet Auguſtinus num.7. „ *Et a delicto meo munda me*: Quo me-
„ rito? Medicus eſt, offer mercedem; Deus eſt, offer ſacri-
„ ficium. Quid dabis ut munderis? Vide enim quem invo-
„ ces; juſtum invocas: odit peccata, ſi juſtus eſt; vindicat
„ in peccata, ſi juſtus eſt; Non poteris auferre à Domino
„ Deo juſtitiam ejus: implora miſericordiam, ſed adtende
„ juſtitiam: Miſericordia eſt, ut ignoſcat; juſtitia eſt, ut pu-
„ niat peccatum. Quid ergo? Quæris miſericordiam? Pec-
„ catum impunitum manebit? Reſponderit David, reſponde-
„ rint lapſi, reſponderint cum David, ut miſericordiam me-
„ reantur ſicut David, & dicant, non Domine, non erit im-
„ punitum peccatum meum: Novi juſtitiam ejus, cujus
„ quæro miſericordiam, non impunitum erit, ſed ideo nolo,
„ ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio, ideo
„ peto ut ignoſcas, quia ego agnoſco „. Et numero 11.-- Ve-
„ ritatem dilexiſti: ideſt impunita peccata, etiam eorum,
„ quibus ignoſcis, non reliquiſti.... Ignoſcis confitenti, igno-
„ ſcis, ſed ſe ipſum punienti: ita ſervatur miſericordia,
„ & veritas: miſericordia quia homo liberatur, veritas quia
„ peccatum punitur „ Sciens, ac prudens hæc ex Auguſtino deſcripſi, quæ ad ſpeciem difficiliora ſunt, quam quæcumque teſtimonia Patrum ab Arnaldo congeſta, quæque ſatisfactionem neceſſariam probant, ſed non ante veniam, & tamquam prærequiſitum ad eam obtinendam. Studioſe ergo verba Auguſtini protuli, quæ hoc probare videntur, & magis juvare Cauſam Arnaldi, quam quæcunque Arnaldus ipſe congeſſit.

Reſpondetur tamen, quod punitio, de qua Auguſtinus loquitur tum his, tum aliis in locis, quorum aliquem citat Arnaldus Par.2. c.14. pag. mihi 303. nihil dicit diſtinctum a dolore, & deteſtatione peccati commiſſi cum propoſito non peccandi de cetero, multoque magis, ſi reliqua accedant, quæ Sacramentum Pœnitentiæ conſtituunt. Siquidem punitio, de

 qua

qua Auguſtinus, partim eſt punitio reipſa exhibita, & hæc non diſtinguitur ab actu diſplicentiæ, qua pœnitens agnoſcens crimina ſua, ſibi ipſi iraſcitur, ſibique diſplicet; partim eſt punitio, quam pœnitens exequi deinde proponit, & hæc non diſtinguitur a propoſito non peccandi, ſive legem ſervandi; Quod propoſitum ſuos habet gradus, nam & proponere poteſt legis obſervantiam neceſſariam, & proponere etiam poteſt obſervantiam perfectiorem: Hunc eſſe planum, atque apertum Auguſtini ſenſum conſtat ex contextu: Imprimis ponderanda illa verba „ Nolo ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio; ideo peto, ut ignoſcas, quia ego agnoſco „ Ubi vides, quod prius expreſſerat voce *puniendi*, deinde exponit voce *agnoſcendi*, cum dolore ſcilicet: Clarius numer 16. in Enarratione ejuſdem Pſalmi ad ea verba: *Ne projicias me a facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me:* „ Eſt enim, inquit, Spiritus Sanctus in confitente; Jam ad donum Spiritus Sancti pertinet, quia tibi diſplicet, quod feciſti. Immundo Spiritui peccata placent, Sancto diſplicent.... Quia ergo non poteſt eſſe *confeſſio peccati, & punitio peccati* in homine a ſe ipſo, cum quiſque *ſibi iraſcitur, & ſibi diſplicet* ſine dono Spiritus Sancti non eſt „ Ubi vides pro eodem, & veluti voces ſynonymas uſurpari, *punitio peccati*, & ſibi *iraſci* ac *diſplicere* -- Ponderanda præterea in teſtimonio, quod objiciebatur, ſunt illa verba -- *Medicus eſt, offer mercedem*: & infra *Non Domine, non erit impunitum peccatum meum*, & rurſus *Non impunitum erit* -- Ubi vides ſermonem eſſe de mercede non data, ſed oblata, ſive in voto, ac propoſito: ſermonem eſſe de punitione futura: Satis itaque eſt ex Auguſtino, ſi offeras, & proponas punitionem ſubeundam.

Similia habet in Pſal.44. num.18. ad ea verba „ *Virga directionis virga Regni tui: Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem*: Audis Regem tuum, quia odit iniquitatem, & times. Eſt quod facias. Quid odit? iniquitatem: Numquid te? Sed in te eſt iniquitas? Odit illam Deus: oderis & tu, ut unam rem ambo oderitis: Eris enim Deo amicus, ſi odiſti, quod odit; ita & amabis, quod amat...

„ Vide

„ Vide quomodo jam illi incipias conjungi, cum odiſti, quod „ odit: Peccatum puniturus eſt, quia virga directionis eſt „ virga Regni ipſius. Sed non puniat peccatum: Sed non poteſt: Puniendum eſt peccatum; ſi puniendum non eſſet, „ nec peccatum eſſet: Præveni illum: non vis ut ipſe pu„ niat? Tu puni „ Habes in phraſi Auguſtini idem eſſe hæc duo -- *Peccator odit peccatum -- peccator punit peccatum*: Ex uno alterum declaratur, ex uno alterum infertur: Pergit Sanctus Doctor: „ Converte te ad punienda peccata tua, quia „ impunita eſſe peccata non poſſunt. Puniendum ergo erit „ aut a te, aut ab ipſo: tu agnoſce, ut ille ignoſcat „ Habes quod *punire* peccatum idem ſit ac *agnoſcere*, cum dolore ſcilicet: Obſervanda etiam ſunt illa verba -- *Converte te ad punienda peccata tua* -- quæ ſonant potius animum ad puniendum, ideſt propoſitum, quam punitionem ipſam.

Sed quoniam in re verſamur, quæ præcipui momenti eſt ad hanc controverſiam, & ad rite intelligendas Scripturas Sacras, & Patres, tranſcribam clariſſimum Auguſtini teſtimonium in Pſalm.58. Sem.1. num.13. „ Iniquitas omnis parva, „ magnave ſit, puniatur neceſſe eſt, aut ab ipſo homine pœ„ nitente, aut a Deo vindicante. Nam & *quem pœnitet*, „ *punit ſe ipſum*.... Illud feciſti, quod impunitum eſſe non „ poſſit, ſed a te puniatur potius, ut facias, quod in illo „ Pſalmo ſcriptum eſt, præveniamus faciem ejus in confeſſio„ ne. Quid eſt præveniamus faciem ejus? antequam ipſe ad„ tendat, ut puniat, tu præveni *confitendo*, & *puni*. Non ille „ inveniat, quod puniat, quia cum tu punis iniquitatem, fa„ cis æquitatem. Et ideo tui miſerebitur Deus „ quia jam te „ operantem æquitatem invenit Deus. Quid eſt operantem „ æquitatem? Quia hoc in te odiſti, quod & ille odit, ut inci„ pias placere Deo, dum hoc *in te punis*, *quod diſplicet Deo*: „ Vides perpetuo reciprocari duo hæc in Auguſtino, *odiſſe* peccatum, & *punire*, imo & pro fere ſynonymis uſurpari, quemadmodum etiam loquitur in Pſal.84. n.16.

Tandem ſi integram doctrinam velis, qua cum diſtinctione explicetur, quid ad juſtificationem prærequiratur, quid ad illam conſequatur, audi Auguſtinum in Pſal. 59. num. 5.

Digitized by Google

„ Prior labor eſt, ut diſpliceas tibi, ut peccata expugnes, „ ut muteris in melius: ſecundus labor, pro eo quod mutatus es, ferre tribulationes, & tentationes hujus ſæculi, & „ inter illas perſeverare uſque in finem „ Habes quod pænales ſatisfactiones conſequantur converſionem peccatoris, expugnationem peccatorum, mutationem in melius; Ceterum ipſa diſplicentia labor eſt, & punitio.

Sit V. *Exemplum* Judæorum ſub Rege Joſia: de quo Regum 4. cap.23. „ Rex Joſias.... miſit, & congregati ſunt ad „ eum omnes ſenes Juda, & Jeruſalem, aſcenditque Rex „ Templum Domini, & omnes viri Juda, univerſique, qui „ habitabant in Jeruſalem, cum eo Sacerdotes & Prophetæ, „ & omnis populus a parvo uſque ad magnum, legitque „ cunctis audientibus omnia verba libri Fœderis... & fœdus „ percuſſit coram Domino, ut ambularent poſt Dominum, „ & cuſtodirent præcepta ejus, & teſtimonia, & cæremonias „ in omni corde, & in tota anima, & ſuſcitarent verba fœ- „ deris hujus, quæ ſcripta erant in Libro illo, *acquievitque* „ populus pacto „ Uti ſcilicet cuſtodiret præcepta ejus in omni corde, & in tota anima; quod cum *ſtatim* factum fuerit, habemus in magna multitudine exemplum celeris converſionis. Audienda etiam verba Eccleſiaſtici c.49. „ Ipſe (Joſias) „ eſt directus divinitus in pœnitentiam Gentis, & tulit abo- „ minationes impietatis, & gubernavit ad Dominum cor „ ipſius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem.

Sit VI. *exemplum* ex Parabolis Ovis, Drachmæ, & Filii Prodigi, qua occaſione vindicabitur contra Queſnellianos Vulgatæ lectio *Cito proferte ſtolam primam*. Non eſt prætermittendum initium Capitis XV. S. Lucæ: „ Erant autem appro- „ pinquantes ei (Chriſto Domino) publicani, & peccatores, „ ut audirent illum; Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ „ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum „ illis; Et ait ad illos parabolam iſtam dicens „ .... Tum ſubdit de homine habente centum oves, qui dimiſſis 99. vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam: Et cum invenerit, imponit in humeros ſuos gaudens... Et concludit, Dico „ vobis: Ita gaudium erit in Cælo ſuper uno peccatore pœ-

„ niten-

„ nitentiam agente „ Idem epiphonema repetit poſt aliam parabolam de muliere, quæ ex decem drachmis unam perdiderit, eamque inveniat.

Tum ſubdit prolixam parabolam de filio prodigo „ qui „ profectus in regionem longinguam diſſipavit ſubſtantiam „ ſuam vivendo luxurioſe: tum in ſe reverſus dixit... ſurgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: pater pec„ cavi in cælum, & coram te.... & ſurgens venit ad pa„ trem ſuum: cum autem adhuc longe eſſet vidit illum pa„ ter ipſius, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit „ ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum: „ Hæc teſtimonia ſunt patris non amplius irati, ſed reconciliati; Idque totum factum eſt celerrime: „ Cum autem adhuc longe eſſet.... „ accurrens.... oſculatus eſt eum „ Audiamus ſequentia „ Di„ xitque ei filius: pater peccavi in cælum & coram te: Jam „ non ſum dignus vocari filius tuus: Dixit autem pater ad „ ſervos ſuos: *Cito* proferte ſtolam primam, & induite illum, „ & date anulum in manum ejus, & calceamenta in pedes „ ejus, & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & man„ ducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, „ & revixit, perierat, & inventus eſt. „

Hæc non indigent Commentario, ut oſtendatur hanc converſionem fuiſſe optimam, celerem, & a Chriſto Domino in Evangelio propoſitam in commune exemplum Chriſtifidelibus. Quare defenſores Queſnelli, ut tenebras offundant, dicunt in Textu græco deeſſe vocem illam *Cito*, qua indicatur velox reconciliatio. Hinc in Verſione Gallica Novi Teſtamenti Montibus Hannoniæ, ut habet titulus, edita, ſive in Teſtamento Montenſi deeſt ea vox: Hujus verſionis defenſor non ſolus eſt Arnaldus, ſed etiam Queſnellus, qui in Libro, cui Titulus -- *Dialogi de Romano Decreto contra Teſtamentum Catalaunenſe cum Reflexionibus moralibus* -- Ita ſcribit: „ HæcVerſio, renitente fruſtra Decreto Romano, tamquam „ opus præſtantiſſimum celebratur: Apologiæ pro ea typis „ editæ eamdem prorſus vindicant a calumniis adverſantium; „ potiſſimum vero triginta, & plures forſitan Editiones an„ norum ſpatio quadraginta. „

Reſpon-

Reſpondeo: Etiamſi deleas eam voculam *Cito*, invictum perſtat argumentum 1. Ea vox ſubintelligitur ex natura actionis, ejuſque circumſtantiarum: Quis enim habens ante ſe nudum hominem dicat ſervis ſuis -- Proferte ſtolam, date calceamenta ... intelligens nimirum *poſt dies*, *aut hebdomadas*? Eadem dicas de Verſione Syriaca -- Depromite ſtolam præcipuam -- De Perſica -- Abite, & toga ſplendida eum induite -- Quis ſanus imperat iſta fieri poſt diuturnum tempus, cum urget præſentia ſua nudus Filius? 2. quid dicent Arnaldiſtæ, & Queſnelliani ad ea verba -- *Filius mortuus erat*, *& revixit*, *perierat*, *& inventus eſt* -- Verba hæc ſunt præteriti temporis, quæ ſignificant reconciliationem Filii adhuc clarius, quam *Stola prima*; reconciliationem proinde celerrime factam.

Ceterum ea particula *Cito* certiſſimam auctoritatem habet, etiam aliunde, quam ex Vulgata noſtra Editione: In primis verſio Arabica habet -- Proferte ſtolam primam, & induite eum illa *cito* -- Ita in Bibliis Polyglottis Waltoni. Deinde quamvis novum Teſtamentum Græcum, prout repræſentatur in vulgatis Codicibus careat adverbio *Cito*, at illud habent inſignes MSS. Codices; in quibus diſertiſſime habetur ταχεως εξενεγκατε -- Ita legit Exemplar MSS. Evangeliorum, & Actorum Græco-Lat. vetuſtiſſimum, Eruditorum judicio, ſupra milleducentos annos, quod Theodorus Beza an. 1581. dono dedit Accademiæ Cantabrigienſi: Idem habent Lectiones variæ IV. Evangeliorum collectæ per Marchionem Veleſium Petrum Faxandum Hiſpanum, facta collatione ſexdecim Exemplarium: quorum octo erant ex Laurentiana Bibliotheca Regis Hiſpaniarum. Ex Codicibus Græcis Roberti Stephani eandem lectionem habebant Codex 2. qui erat vetuſtiſſimum quoddam Exemplar ex Italia, & Codex 8. ex Bibliotheca Regis Galliæ: Vide variantes Lectiones Græcas Novi Teſtamenti in Appendice ad Biblia Sancta Polyglotta.

Longe plures Codices habuiſſe antiquitus in Græcis lectionem eamdem confirmari poteſt ex *Veteri Italica*, quam magnis laboribus digeſſit P. Petrus Sabatier Congr. S. Mauri, & cujus Novum Teſtamentum prodiit an. 1747. anno uno poſt ipſius obitum. Adverbium *cito* habet hæc *Vetus Italica*, conſen-

ſen-

ſentientibus mss. Codicibus Colbertino, altero S. Martini Turonenſis ante annos mille, & duobus Sangermanenſibus apud eumdem Editorem videndis: Habent idem adverbium *cito* Patres Latini, qui *Veteri Italica* utebantur: Chryſologus Serm.III. de duobus Filiis, Victor Tunonenſis lib. de Pœniten. cap.19. Auguſtinus quidem lib.2. cont. Ep. Parmen. cap.14. „ Nudos „ autem qui veſtit, niſi qui dicit, proferte illi ſtolam primam, & qui corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem „ quibus verbis non tam recitat Sacram Scripturam, prout jacet, quam ſententiam ex Evangelicis, & Apoſtolicis verbis contextam, & argumento, quod tractabat, accommodatam: ut etiam conſtat ex interjecta vocula *illi*, ſeu proferte *illi*: multo magis non formalia verba, ſed ſenſum recitat lib.2. Quæſtionum Evangeliorum q.33. num.5. Quare quod his, aliiſque locis non recitet illud adverbium *cito*, rem ſaltem in dubio relinquit, num eam voculam omnino in codicibus ſuis non habuerit, vel habitam prætermiſerit, quippe cujus ſibi nulla eſſet vel utilitas, vel neceſſitas. Eadem dicas de Ambroſio L.VII. in Lucam.

At probationem minime æquivocam, qua conficiatur antiquos probatiores Codices Græcos habuiſſe ταχεως εξενεγκατε, *cito proferte*, colligo ex S. Hieronymo: Is ita ſcribit ad Damaſum in Præfatione ad IV. Evangelia Tom.1. edit. Martianæi: „ Novum opus me facere cogis ex veteri, ut poſt „ exemplaria Scripturarum toto orbe diſperſa, quaſi quidam „ arbiter ſedeam, & quia inter ſe variant (latina exem- „ plaria Evangeliorum) quæ ſint illa, quæ *cum græca ſen-* „ *tiant veritate*, decernam „. Et poſt multa concludit: „ Igitur hæc præſens Præfatiuncula pollicetur quatuor tan- „ tum Evangelia, ... Codicum Græcorum emendata colla- „ tione, ſed veterum „. Jam vero in emendato per S. Hieronymum Evangelio S. Lucæ, quod habes Tom. 1. edit. Martianæi, legitur *cito proferte*: Atque idem Hieronymus in Epiſt. ad Damaſum, quæ eſt 21. edit. Veronenſis, & verſatur in exponenda Parabola Filii Prodigi legit -- *Celerius proferte ſtolam primam* --.

Quam efficax autem Argumentatio illa ſit, quæ ex Parabola

Digitized by Google

bola Filii Prodigi elicitur contra Queſnellianam abſolutionis dilationem, nolens teſtatus eſt Janſenianus ille Scriptor, qui in libro, cui titulus -- La Devotion du Pecheur cap.5. -- vel ipſum Chriſtum Dominum, quod Fidelium omnium aures horrebunt, de laxata in Filium Prodigum Pœnitentiæ diſciplina traducit: „ Videtur, inquit, quod Filius prodigus feſtina-
„ tione præcipiti fuerit abſolutus: Diſciplinæ enim ratio exi-
„ gebat, ut debito temporis intervallo ad peragendam pœ-
„ nitentiam idoneo, a Domicilio Patris ſegregatus abeſſet „. Uſurpandum nobis hoc loco eſt illud Auguſt. in Pſal.95. num.11. *Quid dicis? voces tuæ audiendæ ſunt, an voces Dei?*

Sit VII. *Exemplum* Ex Lucæ cap.V. „ Et factum eſt,
„ cum eſſet in una Civitatum, & ecce vir plenus lepra, &
„ videns Jeſum, & procidens in faciem rogavit eum dicens:
„ Domine, ſi vis potes me mundare. Et extendens manum
„ tetigit eum dicens: volo: mundare, & *confeſtim* lepra
„ diſceſſit ab illo „. Chriſtum autem ſimul, adeoque confeſtim ſanaſſe illum a peccatis ſententia eſt S. Leonis Serm.XI. de Paſſione „ Non, inquit, ſolum corporeis infirmitatibus me-
„ debatur, ſed etiam vulnera debilium curabat animarum „.

Ceterum, ſi S. Leonis ſententiam non recipiunt Janſeniſtæ Queſnelliani, audiant ſequentia ex eodem cap.5. Lucæ.
„ Et factum eſt in una dierum & ipſe ſedebat docens: Et
„ erant Phariſæi ſedentes, & legis Doctores, qui venerant
„ ex omni Caſtello Galilææ, & Judææ, & Hieruſalem, &
„ virtus Domini erat ad ſanandum eos -- Curavit ut ſanaret eorum ſuperbiam, ac duritiem hoc prodigio -- Et ecce viri
„ portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus ... quo-
„ rum fidem, (nempe & paralytici, & eorum qui eum
„ portabant) ut vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata
„ tua „. Vides celeritatem ſpiritualis ſanitatis? Et quoniam:
„ Cœperunt cogitare Scribæ, & Phariſæi dicentes: quis po-
„ teſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus „? his auditis, Chriſtus ad confirmandam veritatem inviſibilem tam ſubitæ ſpiritualis ſanationis indulſit Paralytico ſanitatem corporis. „ Ut
„ autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra
„ dimittendi peccata (nullis utique temporis limitibus circum-

„ ſcri-

Digitized by Google

„ ſcriptam, cujuſmodi erat ſpiritualis ſanitas, quam largitus „ fuerat) ait paralytico: ſurge, tolle lectum tuum... Et „ *confeſtim* conſurgens... abiit„ Merito Chryſoſtomus Homil.29. al 30. in Matth. n.1. p.343. „ Non ſtatim ad corpus, quod vi„ debatur, curandum ſe contulit, ſed ab illis occaſione ſumpta, „ quod non apparebat, primum curavit, nempe animam, cum „ peccata dimiſit. „

Sit VIII. *Exemplum* ex Lucæ cap.18. „ Dixit autem „ & ad quoſdam, qui in ſe confidebant, tamquam juſti, & „ aſpernabantur ceteros, parabolam iſtam: Duo homines „ aſcenderunt in templum, ut orarent: unus Phariſæus, „ & alter Publicanus: „ Tum deſcripta ſuperba oratione Phariſæi addit „ Publicanus a longe ſtans nolebat nec oculos ad „ cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus „ propitius eſto mihi peccatori: dico vobis: deſcendit hic „ juſtificatus in domum ſuam ab illo: „ Habes hic imprimis non tam hiſtoriam peculiaris facti, ſed parabolam, qua doceantur Fideles, non quod una vel altera vice, ſed quod ex more contingit: quam, parabolam Chriſtus Dominus univerſaliter concludit: „ Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur: „ Habes præterea ſubitam ſanationem merito non præviæ cujuſdam prolixæ præparationis, de qua altum in Evangelio ſilentium, ſed actualis humilis contritionis: Dixi *ſubitam*: nam optime monet Auguſtinus lib.2. Con. Parmen. cap.8. Publicanum in ingreſſu templi, & principio orationis peccatorem fuiſſe: „ Ut juſtificaretur, peccator orabat, & pecca„ tor confitebatur, & exauditus juſtificatus eſt, ut deſineret „ eſſe peccator „.

Sit IX. *Exemplum* ex Zacchæo cap.19. Lucæ: nam ea Chriſti verba -- *Quia hodie huic domui ſalus a Deo facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ* -- ſubitam ſignificant juſtificationem: nihil enim præceſſerat paulo ante, quam curioſitas: „ Quærebat videre Jeſum, quis eſſet, quia ſtatura „ puſillus erat „. Tum ſuſcepit gaudens Chriſtum Dominum, qui ultro ſe ad convivium invitavit: conſecuta eſt reſtitutio ſuperabundans cum ea commiſſorum contritione, quæ meruit a Chriſto Domino audire: *Hodie huic Domui ſalus a Deo*

Digitized by Google

facta eſt : Univerſa hæc actorum ſeries non longo tempore abſoluta eſt.

Sit X. *Exemplum* ex Lucæ cap.22. „ Adhuc illo loquente „ cantavit gallus : & converſus Dominus reſpexit Petrum, „ & recordatus eſt Petrus verbi Domini ... Et egreſſus fo- „ ras Petrus flevit amare „ . Hunc fletum fuiſſe ex amariſſima contritione juſtificante negari nequit, quemadmodum etiam controverti nequit eum *ſtatim* fuiſſe habitum poſt ultimam negationem : „ Reſpexit eum, & factus eſt liberatus, „ inquit Aug. ſerm.284. n.6. Ille qui reſuſcitat mortuos, „ reſpexit eum Dominus, & flevit amare : negando periit, „ flendo reſurrexit : ſerm.286. n.2. „ Quare inter ultimam nega- „ tionem, & Petri juſtificationem minima mora interceſſit. Aug. ſer.295. n.3. „ Continuo reſpexit Dominus, ſic ſcriptum eſt, „ ſic loquitur Evangelium : *Reſpexit eum Dominus*, *& exiit* „ *foras*, *& flevit amare* : *Exiit foras* : hoc eſt confiteri : „ flevit amare, qui noverat amare : Dulcedo ſecuta eſt in „ amore, cujus amaritudo præceſſerat in dolore „ Et lib. de Gratia Chr. cap.45. „ Reſpexit eum Dominus ... Miſericor- „ dia Dominus latenter ſubvenit, cor tetigit, memoriam re- „ vocavit, interiore gratia ſua viſitavit Petrum, interioris „ hominis uſque ad exteriores lacrymas movit, & produxit „ affectum.

Sit XI. *Exemplum* ex Matthæi cap.18. „ Aſſimilatum „ eſt Regnum Cælorum homini regi, qui voluit rationem „ ponere cum ſervis ſuis ... oblatus eſt ei unus, qui debe- „ bat ei decem millia talenta ; cum autem non haberet, unde „ redderet, juſſit eum Dominus ejus venumdari, & uxorem „ ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi : „ Sub quorum verborum velamine ſignificari magnum debitum peccatorum, dubitari non poteſt : „ Intelligendum eſt decem „ præceptorum legis eum fuiſſe debitorem, ait Auguſtinus „ Lib.1. quæſtionum Evangeliorum quæſtione XXV., & pro „ cupiditate, atque operibus ſuis, tamquam pro uxore, ac „ filiis, pœnas ſolvere debuiſſe, quod eſt pretium ejus : pre- „ tium enim venditi, ſupplicium damnati intelligitur „ . Ac ſiquidem hoc loco ſermo eſſet de talento attico, quod ex

Digitized by Google

Budæo l. de Aſſe valet 600. aureos, ſumma debiti erat ſexagies centum millia aureorum, id eſt ſex aureorum milliones: ſi ad Hebræos loquens Chriſtus de Hebraico talento loquutus eſt, quod tria millia ſiclorum valet, ideſt 12. millia drachmarum auri, ſive 12. millia aureorum, debitum erat ad 120. aureorum milliones; quibus confirmatur, quod dixi, de gravitate peccatorum ſervi Evangelici. Atqui tanti debiti remiſſionem obtentam fuiſſe propter actum celerrimæ converſionis conſtat ex eodem evangelio: „ Procidens autem ſer„ vus ille orabat dicens: patientiam habe in me, & omnia „ reddam tibi: miſertus autem Dominus ſervi illius dimiſit „ eum, & omne debitum dimiſit ei. „ Non intuitu aliorum operum, quibus antea ſeſe præparaſſet ad remiſſionis gratiam, (de his quippe operibus nihil in verbis Evangelicis) ſed miſertus Dominus procidentis, & orantis ſervi dimiſit debitum homini, prout ſtatim fieri potuit, diſpoſito.

Sit XII. *Exemplum* ex Matth. cap.27. „ Prætereuntes „ autem blaſphemabant eum (Jeſum) idipſum autem & „ latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei „: Marci etiam cap.15. „ Et qui cum eo crucifixi erant, convi„ tiabantur ei „: Habemus itaque ambos latrones, etiam illum, qui poſtea eſt converſus, uſque ad crucifixionis tempus, imo dum jam in Cruce pendebant, in impietate perſeveraſſe. Subita itaque fuit latronis boni pœnitentia, quam narrat Lucas cap.23. „ Nos quidem juſte, nam digna factis „ recipimus: hic vero nihil mali geſſit: & dicebat ad Je„ ſum: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum, „ & dixit illi Jeſus: Amen dico tibi: hodie mecum eris „ in paradiſo „. Celeritatem hanc breviter complexus eſt Auguſtinus ſerm.232. alias 144. de Temp. ubi in hunc modum latronem alloquitur: „ Invaſiſti in Regnum Cœlorum, „ vim feciſti, crediſiſti, rapuiſti „ Et Chryſoſtomus Hom.87. al 88. in Matth. n.2. p.820. „ Superne in cruce latro erat, „ & inimicus, ſed repente mutatus eſt „ Et in priore Epiſtola ad Theodorum Lapſum -- In eo momento, inquit, totius vitæ peccata ſimul abſterſit -- Similia paſſim occurrunt apud Patres. Quod autem S. Bernardus Ep.8. ad Brunonem

dicat *Hæc mutatio dexteræ excelſi*, *non tam exemplum quam miraculum* : non cadit in converſionem boni latronis, quidquid contra ſcribat Arnaldus De Freq. Commun. par.2. cap.12. ſed in mutationem Pauli ex perſequutore in Apoſtolum, repente Vas electionis, repente Doctorem Gentium, aliaſque analogas mutationes.

Sit XIII. *Exemplum* ex cap.2. Actorum, in quo poſt S. Petri concionem deſcriptam ita dicitur: „ His autem au-„ ditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & „ ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus „ vero ad illos: Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſ-„ que veſtrum .... & accipietis donum Spiritus Sancti ... „ Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortaba-„ tur eos dicens: Salvamini a generatione iſta prava: Qui „ ergo receperunt ſermonem ejus baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia „ Nota *in die illa*. Quare ante concionem nulla ad converſionem diſpoſitio: Poſt concionem ea ipſa die perfecta converſio cum Baptiſmate, quod non minorem diſpoſitionem requirit, quam Sacramentum Pœnitentiæ.

Audiendus Auguſtinus in Pſal.45. v.2. num.4. „ Com-„ puncti corde dixerunt, quid faciemus? Tamquam magna „ deſperatione. Ille tantus eſt, quem nos occidimus, nos „ ubi erimus? ... Nihil enim hoc peccato gravius poteſt „ æger facere, quam ſi medicum ſuum occidat? Cum hoc „ dimittitur, quid non dimittitur? Ab illo ergo, cui dictum „ eſt *refugium*, *& virtus* acceperunt magnam ſecuritatem... „ Agite Pœnitentiam .... Baptizetur unuſquiſque veſtrum „ in nomini D. N. Jeſu Chriſti: in illius nomine, quem oc-„ cidiſtis, baptizamini, & dimittuntur vobis peccata ve-„ ſtra.... Accepta tanta ſecuritate quid dicunt? ... Paulo „ ante ſolliciti, ſubito ſecuri, ex tribulationibus nimiis in „ magna tranquillitate poſiti ... Dormiebat enim illis Chri-„ ſtus ... imperavit ventis, & quieverunt. „ Obſervandum præterea aut omnes, aut maximam eorum partem non tantum peccato Deicidii, ſed aliis etiam criminibus injuſtitiæ, impudicitiæ &c. inquinatos fuiſſe. Neque enim ſanctior fuit

Gens

Digitized by Google

Gens Judæorum tempore adventus Chriſti Domini, quam cum Oſea prophetaret, „ Non eſt enim veritas, & non eſt mi-„ ſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra, maledictum, „ & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium „ inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.

Obſervandum præterea hanc Judæorum converſionem tam celerem, tamque promptam peccatorum remiſſionem afferri ab Auguſtino non in *miraculum*, ſed in *Exemplum*, quod in Arnaldum hac diſtinctione abutentem animadvertendum eſt. Auguſtinus itaque in Pſal.58. ſerm.2. num.2. de iis Judæis converſis ſic pronunciat: „ Exemplumque præbuerunt hominibus, quam non debeant diffidere dimitti ſibi quale-„ cunque peccatum, quando & interfectio Chriſti dimiſſa „ eſt confitentibus. „

Sit XIV. *Exemplum* Ex Actorum cap.3. & 4. quibus locis alia deſcribitur S. Petri concio: „ Pœnitemini igitur, „ & convertimini, ut deleantur peccata veſtra ... conver-„ tat ſe unuſquiſque a nequitia ſua ... Multi autem eorum „ qui audierant verbum crediderunt, & factus eſt numerus „ virorum quinque millia „. Ex quo facto inſtauratur idem argumentum, quod prius.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

De Mente SS. Patrum in præſenti controverſia, ac primo de mente S. Auguſtini: Quod Sanctus hic Doctor adverſetur Queſnellianæ Praxi in Dilatione abſolutionis: adverſetur principiis ejus fundamentalibus, adverſetur conſectariis ex ea Praxi conſequentibus: Id oſtenditur, tum ex iis ipſis Sermonibus, quos Arnaldus pro ea Praxi producit, tum ex aliis plurimis Teſtimoniis, quæ ex univerſis Auguſtini Libris ſeligentur.

§. PRÆLIMINARIS

Artificium Arnaldi aſſerentis Patres omnium ſæculorum a ſe ſtare, & Praxi, quam ipſe docet, ubique favere: Neceſſitas expugnandi hujus artificii, & tam perniciosam larvam doctrinæ peſtiferæ detrahendi, magno quidem tum ſcribentis, tum legentium labore, & forte etiam tædio, ſed non impari utilitate, ac fructu tam neceſſarii laboris hactenus non ſuſcepti.

ANtonius Arnaldus, tum paſſim in Libro de Freq. Communione, tum in eo, quem ad illius defenſionem ſcripſit, cuique titulum fecit *La Tradition de l' Egliſe ſur le ſujet de la Penitence, & de la Communion rappreſentée dans les plus Excellens Ovurages des SS. Peres Grecs, & Latin. ann.*1645. pro ſua doctrina ſtare gloriatur præcipuos omnium Eccleſiarum, & ſæculorum Patres, quorum integras Homilias, Libellos, aut Libellorum, aut Commentariorum Capita, aliave prolixa Fragmenta in unum volumen congeſta, eo quem dixi Libro, *De Traditione Eccleſiæ* legentibus repræſentat, ut fraudum Janſenianarum minus peritis imponat.

I. Ac primo quidem ex Euſebio l.2. Hiſt. c.7. exhibet pag.1. formam Pœnitentiæ, quam Adoleſcenti præſcripſit S. Joannes Evangeliſta.

II. Fragmentum S. Dionyſii Areopagitæ ex cap.3. Libri de Eccleſiaſtica Hierarchia. Ita pag.*6*.

III. Tum a pag.12. Libellum Tertulliani de Pœnitentia per vigintitria Capita.

IV. S.Cy-

Digitized by Google

IV. S. Cypriani Tractatum de lapſis in Perſecutione per XX. Capita: Ita a pag.50.

V. Subjicit a pag.95. Epiſtolam Cleri Romani ad S. Cyprianum.

VI. A pag.106. Ex Moralibus S. Baſilii, & Libro 1. de Baptiſmo plura excerpit.

VII. Tum a pag.111. ex Oratione XL. S. Gregorii Nazianzeni *De Baptiſmo*, & Oratione XXXIX. *in Sancta Lumina*.

VIII. S. Gregorii Nyſſeni Homiliam *adverſus eos, qui Caſtigationes ægre ferunt* tranſcribit a pag.121. per ſeptem Capita, tum ejuſdem S. Patris Homiliam de Pœnitentia.

IX. Ex S. Paciani Epiſc. Barcinonenſis Exhortatione ad Pœnitentiam, & Epiſtola III. contra Novatianos plurima deſcribit a pag.143.

X. S. Ambroſii doctrinam repræſentat lib.1. de Pœnitentia capite XVI. & lib.11. capitibus IX. X. & XI. recitatis a pag.148. tum aliqua decerpit ex Commentario in Pſal.118.

XI. Profert in medium S. Joannis Chriſoſtomi prolixa fragmenta Homiliarum ſuper Matthæum VI. X. XII. XV. XVII. & XLII. a pag.156.

XII. S. Hieronymi Epiſtolam XXX. libri III. ſive Epitaphium Fabiolæ a pag.192.

XIII. S. Auguſtini Homiliam L. totis ſeptemdecim capitibus deſcriptis: deinde ſermonem 252. de Tempore, & ſermonem 52. de Temp. & ſermonem 34. de Diverſis per XII. capita a pag.195.

XIV. S. Cæſarii ſermonem octavum per X. Capita a p.266.

XV. Tranſcribit deinde a pag.278. plura ex Tertia Parte Paſtoralis S. Gregorii Magni, & ſexto libro Commentariorum in lib.1. Regum capite 15.

XVI. Tum a pag.290. ex lib.2. ſententiarum S. Iſidori Hiſpalenſis.

XVII. Homiliam ſeptimam S. Eligii de Pœnitentia.

XVIII. Epiſtolam producit a pag. 295. S. Gregorii VII. Ad Epiſcopos, Eccleſiaſticos Principes, & Populos Britanniæ Minoris in Gallia.

XIX. Yvo-

Digitized by Google

XIX. Yvonis Carnotenſis Epiſtolam 230. recitat a p.298.

XX. Excerptum a pag. 301. ex ſermone ſecundo S. Bernardi de Aſſumptione B. Mariæ, ubi multa de falſis converſionibus.

Addit deinde plura Excerpta hac ipſa ſerie, quam repræſento: Ex Petro Bleſenſi, ex Magiſtro Sententiarum, ex Prophetia S. Hildegardis, quæ XII. Sæculo floruit, Ex S. Bonaventura, ex Synodo Auguſtæ Vindelicorum 1548. ex Card. Groppero, ex Tridentino, ex Avila, ex Mariano Victorio, ex Orationibus S. Caroli Borromæi in Synodis Provincialibus III. & VI., & in Inſtructione ad Confeſſarios, ex S. Thereſia, ex Card. Baronio, ex S. Franciſco Saleſio, (quamquam poſtrema hæc ex SS. Thereſia, & Saleſio excerpta ad Controverſiam de Freq. Communione potius faciant) Tandem poſtquam hæc eo, quo recitavi, ordine deſcripſit, ne nihil omnino in rem ſuam prætermittere videretur, ſubjecit nonnulla ex Tractatu piæ cujuſdam Fæminæ, cui nomen Joanna de Cambry:

Hæc in Libro de *Traditione Eccleſiæ in Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ*: quem Arnaldus conſcripſit, ut Apologiam faceret Libri ſui *de Frequenti Communione*, unaque ſimul reſponderet P. Petavio, qui eum de *Freq. Communione Librum* aggreſſus fuerat ſuis libris *de Pœnitentia publica, & Præparatione ad Communionem*.

Sed audiendus Arnaldus, quemadmodum de hac Patrum, & Scriptorum ſerie glorietur in Præfatione *Libri de Traditione Eccleſiæ* in Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ: Inde enim conſtabit, quam magna impoſita ſit Catholico Theologo neceſſitas non curſim, & propere, ſed ſerio, accurate, ac diligenter, quamquam non ſine aliquo legentium faſtidio, examen inſtituere de vero ſenſu tam multorum Scriptorum, eorumque præcipue, qui inter Sanctos Patres numerantur, ut tanta Teſtium nubes, qua Sacramentalis Pœnitentiæ Praxis in Eccleſia uſitata impetitur ab Arnaldiſtis, & Queſnellianis, penitus per nos diſſipetur: „ Non, inquit Arnaldus „ pag.26. Præfationis de *Eccl. Trad.* non exhibemus dumta„ xat Concilium quoddam, ſeu Patrum, ſeu magnorum Epi-

„ ſco-

Digitized by Google

„ ſcoporum, qui unius alicujus ſæculi parte ſimul vixerint, „ cujuſmodi eſſe Concilia ſolent, neque Concilium duorum, „ aut trium ſæculorum, quale illud fuit, quod Auguſtinus „ Lib.2. contra Julianum cap.10. Pelagianis objecit: Conci- „ lium ſexdecim ſæculorum opponimus adverſariis noſtris, „ quod omnem proinde Chriſtianæ Eccleſiæ ætatem comple- „ ctitur, in quo intueri liceat ſanctiſſimas Pœnitentiæ re- „ gulas conſtitutas tam inſignium teſtium aſſertione, qui con- „ tra univerſos adverſantium impetus doctrinam noſtram ma- „ nifeſtam faciant, in eaque adſtruenda unum ſemper fuiſ- „ ſe, ac futurum eſſe Eccleſiæ ſpiritum omnino confir- „ ment.

„ Quis non merito obſtupeſcat, cum videat in eandem „ noſtram de Pœnitentia doctrinam conſentire S. Dionyſium „ in Europa, S. Gregorium Nazianzenum in Aſia, S. Augu- „ ſtinum in Affrica, atque ut rem diſtinctius perſequamur, „ S.Cyprianum Carthagine, S.Baſilium Cæſareæ, SS. Cæſarium, „ & Eligium in Gallia, S. Ambroſium Mediolani, S. Joan- „ nem Chriſoſtomum Conſtantinopoli, S. Pacianum in Hiſpa- „ nia, S. Gregorium Magnum Romæ? Quis non magna do- „ ctrinæ hujus noſtræ veneratione tangatur, cum eam ab „ Apoſtolis ad nos uſque perpetua Traditione profectam de- „ prehendat? Eam confirmarunt S. Dionyſius primo Eccle- „ ſiæ Chriſtianæ ſæculo, Tertullianus ſecundo, S. Cypria- „ nus tertio, SS. Gregorius uterque, SS. Nazianzenus atque „ Nyſſenus, S. Baſilius, S. Joannes Chriſoſtomus, S. Pacianus, „ S. Ambroſius, S. Hieronymus ſæculo quarto, S. Auguſtinus „ ſub quarti finem, & quinti ſæculi initium, S. Cæſarius, & „ S. Gregorius Magnus ſæculo ſexto, S. Eligius, & S. Iſidorus „ Hiſpalenſis ſeptimo ſæculo; mitto S. Leonem, S. Proſpe- „ rum, S. Bedam, S. Petrum Damiani, & alios omnes Pa- „ tres, in quibus invenire eſt clariſſima teſtimonia pro ve- „ ritate, quam propugnamus: neque enim alios recenſeo, „ quam eos tantum, quorum Opera, aut Operum inſignia „ Fragmenta, atque Excerpta noſtro hoc Libro de Eccleſiæ „ Traditione complectimur: quos inter recenſebuntur Ivo „ Epiſcopus Carnotenſis ſæculo undecimo, S. Bernardus, Pe-

Digitized by Google

„ trus Bleſenſis, Magiſter ſententiarum duodecimo ſæculo „ Lege reliqua apud Arnaldum de poſterioribus ſæculis, quæ minus neceſſarium eſt retuliſſe.

Hac ratione putat Antonius Arnaldus ſe pluſquam ſatis probaviſſe, quod docuit tota fere ſecunda Parte Libri de Frequenti Communione, ac præcipue Cap. VIII. „ Certe enim, inquit, conſtat Eccleſiam per duodecim ſæcula hunc morem te„ nuiſſe, ut poſtquam peccatores omnia animarum ſuarum „ vulnera Chriſti miniſtris aperuiſſent, idonea illis curandis „ remedia ex eorum præſcripto acciperent: .... deinde pœ„ nitentium partes erant præceptum ſatisfactionis modum ac„ curate implere, omneſque pænitentiæ acerbitates conſtan„ ter ſubire „ Et paulo poſt pag. mihi 223. „ Pœnitentiæ „ igitur decurſus hic fuit: primum confeſſio peccatorum, „ pœnitentiæque poſtulatio; deinde impoſitio pœnitentiæ: „ poſtea impoſitæ pœnitentiæ expletio: ad extremum ab„ ſolutio, adjunctaque illi Communio. Ad hujus vero or„ dinis demonſtrationem, quem tot ſæculis tam eximium „ ac ſalutiferum cenſuit Eccleſia &c. „ .... Tum adhibitis in teſtimonium erroris ſui verbis, ut ipſe interpretatur, S. Gregorii Magni, & Innocentii Primi: „ An non, inquit, his „ verbis perſpicuum eſt ſacroſanctorum inſtitutorum ac præ„ ceptorum, quæ celeberrimus Pontifex a perpetua uni„ verſæ Eccleſiæ traditione accepta eidem Eccleſiæ tradidit, „ hanc eſſe vim, ac ſententiam, ut Sacerdotes in admini„ ſtranda, quam a Chriſto mandatam habent, diviniſſima li„ gandi, atque ſolvendi poteſtate, peccatores tum demum „ abſolvant, cum eos lacrymis, ac gemitibus probatos ad „ pœnitentiam criminibus parem præſtandam, exhibendam„ que perduxerint? „ Tum advocato in patrocinium S. Leone Magno „ Non loquitur, inquit, de conſuetudine, quam „ politia, aut inſtitutio Eccleſiæ induxerit, ſed de ipſa Chri„ ſti lege ac præſcriptione, ut Catholici omnes agnoſcunt.„

Hæc aliaque quamplura ex Arnaldi Libro tanto Novatorum plauſu excepta ſunt jam fere ab annis centum, ut non modo ea Colloquiis, Concionibus, Catechiſmis, Inſtructionibus proponant, (qua de re plura Hiſtorica reperies apud

P. La

Digitized by Google

P. La Fontaine Tom. III. ad Conſtitutionem Unigenitus p.956. pene ad Tomi finem, tum Tom.IV. a Prop.92. ad finem: ſed eadem ipſa in Libros ſuos fere ad verbum, tamquam inconcuſſas veritates, Arnaldiſtæ tranſcribant: Exempli gratia, Ægidii Gabrielis *Specimen Moralis Chrſtianæ & Diabolicæ Parte* 2. §.35. editum anno 1676. „ Sancti Patres hunc ordi„ nem in ſanatione ſpirituali obſervarunt per duodecim ſæcu„ la, ut primo peccator accederet Sacerdotem, eique vul„ nera ſua, ſeu morbum peccati detegeret; ſecundo ut Sa„ cerdos peccatori pœnitentiam imponeret; tertio ut pec„ cator pœnitens illam impleret; tandem ut Sacerdos pœ„ nitentem, impleta pœnitentia abſque relapſu, abſolveret „ Hæc nimirum pene totidem verbis audiſti paulo ante ex Arnaldo. Addit §. 42. „ Antiquus rigor eſt relaxatus -- adeout „ non tantum ordo pœnitentiæ ſit inverſus, ſed pene ipſa „ pœnitentia ſubverſa, & quodammodo evanida -- Fruſtra Innocentius XI. an. 1679. die 27. Sept. librum proſcripſit: quod Romanum Decretum prævenerat Suprema Toletana Inquiſitio, *quia*, inquit, *continet Propoſitiones bæreticas Michaelis Baii, & Janſeniſticas, ſapientes hæreſim, ſchiſmaticas, erroneas, falſas, temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, & injurioſas Chriſto Domino Noſtro, Conciliis, & Sanctis Patribus* -- Eadem antea, anno ſcilicet 1674. vulgaverat Gummanus Huygens in *Methodo remittendi, & retinendi peccata* -- Quem Librum eadem Suprema Hiſpaniarum Inquiſitio proſcripſit, *quia continet propoſitiones ex condemnatis Janſenii, temerarias, & doctrinam quæ Fideles revocare poteſt a Sacramento pœnitentiæ, & Confeſſarios ab adminiſtratione ejuſdem* -- Tanto plauſu, & gratulatione Accademicorum Lovanienſium, cum Lovanii, tum in Belgio toto acceptus eſt hic liber, ita eum ſibi ſumpſere tuendum in Actibus Scholaſticis, Sacris Concionibus, aliiſque Conventibus publicis, & privatis, ut non ſit obſcurum communibus ſuffragiis approbatum eſſe -- Auctor ſecutus fuerat veſtigia Anonymi, qui anno 1672. Gandavi Librum edidit, cui Titulus „ Canones Pœnitentiales &c. quibus præmittitur Compendioſa Deductio in cognitionem originis, vigoris & declinationis Canonum -- „ Præter hos libros

auctoritatis apud eos præcipuæ, innumeri prodiere libelli vario Idiomate Latino, Gallico, Flandrico, eodem veneno inquinati, & vulgi manibus tritiſſimi: Ita ad annum 1677. teſtatur de iis, quæ dixi, *Specimen Doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis.* Lege Partem 2. a p.62.-- Alia plurima conſecuta ſunt, de quibus La Fontaine locis citatis in tertio, & quarto Tomo ad Conſt. *Unigenitus*, ubi leges quam magno Eccleſiæ, atque animarum damno altas radices doctrina iſta demiſerit: Quare cum Alexander VIII. eam doctrinam damnaſſet in Decreto proſcribente Propoſitiones 30., & unam, Queſnellus in Epiſt. *Abbatis ad quemdam Romanæ Curiæ Prælatum* ſcribens contra Pontificium decretum: „ Pridem, inquit, callum obduximus „ fulminibus Inquiſitionis, ipſique Romani ſapientiores ſunt, „ quam ut terreri nos exiſtiment Excommunicationibus ipſo facto incurrendis, & reſervatis Pontifici „. Nec omittendum, quod cum anno 1695. Humbertus Guilielmus Archiepiſcopus Mechlinienſis, totiuſque Belgii Primas Librum *Methodi* proſcripſiſſet, una cum Libro Arnaldi de Frequenti Communione, Paſchaſius Queſnellus libellum vulgavit -- *Tres humble Remonſtrance* -- manu Carnificis anno eodem combuſtum, quo Archiepiſcopum acerbiſſimis conviciis inſectabatur, eumque appellabat *Lache .... indigne ... mal-bonnete*, ut inde ſcias merito de Queſnellianis dixiſſe Clementem XI. in Bulla *Paſtoralis Officii* an.1718. „ Caritatem nulli impenſius laudant, „ nulli impudentius violant .... ſpecioſo quodam ementitæ „ ſeveritatis amictu ſe contegentes. „

Tantorum autem malorum, quæ cum contemptu hodiernæ Eccleſiæ ex damnatis erroribus crebreſcunt in dies, cauſa potiſſima ſunt magna illa nomina *Scripturarum*, *Patrum*, *Conciliorum*, *Canonum*, *& veteris Eccleſiæ diſciplinæ*, quæ cum tanta confidentia a ſæculo jactentur, non indocti tantum e vulgo, ſed eruditiores plerique vix ſibi perſuadent falsò, mendaciſſimèque jactari: ſub qua pietatis, piæque doctrinæ larva, quantum damnorum graviſſimorum in Eccleſiam propagetur, edocemur ex Bulla ipſa *Unigenitus* in qua Clemens XI. Unigeniti Filii Dei nomine „ admonuit, ut attenderemus a „ falſis Prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium,

„ quo-

Digitized by Google

„ quorum nomine potiſſimum demonſtrantur magiſtri illi men-
„ daces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpe-
„ cie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas
„ perditionis ſub imagine ſanctitatis, utque facilius incautis
„ obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe divi-
„ næ Legis ſententiis (ad quas pertinet etiam Verbum per
Sanctos Patres, Concilia, Canones ad nos traditum) velut
„ quibuſdam ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scri-
„ pturarum, adeoque etiam ipſius novi Teſtamenti verbis,
„ quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem de-
„ pravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, a quo
„ progeniti ſunt, mendacii Parentis exemplo, ac magiſte-
„ rio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditio-
„ rem viam, quam ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur
„ fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur aucto-
„ ritas: „ Hæc de Janſenianis ac Queſnellianis in genere præ-
fatus Pontifex ad Librum Queſnelli, & Propoſitiones in eo
contentas deſcendens, eum librum „ Catholicis veritatibus
„ pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcen-
„ tem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem
„ a pluribus haberi, Chriſtifidelium manibus paſſim obtrudi,
„ ac nonnullorum nova ſemper ſentientium conſilio & opera
„ ſtudioſe nimis quaquaverſum diſſeminari, etiam latine red-
„ ditum; ut pernicioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſ-
„ ſit, pertranſeat de gente in gentem, & de regno ad po-
„ pulum alterum; verſutis hujuſmodi ſeductionibus atque fal-
„ laciis creditum nobis dominicum gregem in viam perditio-
„ nis ſenſim abduci ſummopere doluimus, adeoque Paſtoralis
„ non minus curæ noſtræ ſtimulis, quam frequentibus Ortho-
„ doxæ Fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium
„ Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum li-
„ teris ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam ali-
„ quando poſſet in deteriora quæque prorumpere, validiori ali-
„ quo remedio obviam ire decrevimus. „

Quæ de pernicioſa illa ſanctitatis larva dixerat Ponti-
fex, neque unquam, quantum ſatis, dicentur, iterum confir-
maturus hæc habet lectu digniſſima: „ Ad ipſam ingruentis
„ mali

Digitized by Google

„ mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum conver-
„ tentes perſpicuè novimus, ſummam hujuſmodi Libri perniciem
„ ideo potiſſimum progredi, & invaleſcere, quod eadem intus
„ lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere, foras
„ erumpat, cum Liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie qua-
„ dam pietatis illiciat: molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper
„ oleum, ſed ipſi ſunt Jacula, & quidem intento arcu ita ad
„ nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. „

Quamvis autem omnes Queſnelliani errores hujuſmodi ſint, hoc tamen intereſt, quod errores ſpeculativi de Gratia, ac Prædeſtinatione, adnexiſque materiis doctos præcipue homines afficiunt, at quæ ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta, & praxim ipſam Eccleſiæ ſpectant, eorum detrimentum ad omnes tum doctos, tum etiam indoctos, qui major Eccleſiæ pars ſunt, ſeſe protendit, ut ſi fieri poſſit, vitæ fontes omnibus præcludantur: Quare ad hos præcipuè errores reſpexit Pontifex, cum non modo Queſnellianas Hæreticas condemnavit, ſed etiam alias „ falſas, captioſas, male „ ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicio- „ ſas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas. -- Nihil „ propterea opportunius, ait Pontifex, aut ſalubrius præſtari „ a nobis poſſe arbitrati ſumus, quam ſi fallacem Libri do- „ ctrinam .... diſtinctius & apertius explicaremus .... & „ veluti ob oculos exponeremus „ -- Quod ſi & Eccleſia auctoritative dicat has aut illas propoſitiones falſas, & praxi Eccleſiaſticæ injurioſas eſſe, & Catholici Theologi id ita eſſe argumentatione, & diſquiſitione demonſtrent, id enim vero erit perfecte atque complete -- *pernicioſam hanc larvam, quæ animabus pretioſiſſimo Chriſti Sanguine redemptis certum parare poſſet exitium, palam detrahere*, ut in Bulla *Paſtoralis Officii*, ait Clemens XI. Quod in re noſtra fieri aliter nequit, quam ad examen revocando ſingulos SS. PP. quorum traditionem jam ab Arnaldi ætate nobis ad nauſeam opponunt, neque unquam opponere ceſſabunt, niſi eos omnes, ac ſingulos, magno quidem tum ſcribentis, tum etiam legentium labore, ac tædio, ſed majore fructu, non ab ipſis Novatoribus, ſed a nobis ſtare invictè demonſtretur.

Hæc

Digitized by Google

Hæc via niſi ineatur, deſperandum eſt de ea per Novatores, eorumque libros, epiſtolas, colloquia, catechiſmos pervagata perſuaſione funditus extirpanda. Hac ſpiritualis fructus utilitate propoſita gravis hic labor, quem nemo hactenus aggreſſus fuit, magnis animis eſt ſuſcipiendus.

Dubitavi num præſtaret, in hac diſquiſitione de Mente Patrum, eum ſervare Chronologicum ordinem, quem Arnaldus uſurpat; At cauſæ catholicæ, & legentium commodo melius proſpicietur, ſi non temporis ordo ſervetur, ſed utilitatis; ab iis ſcilicet initium ducatur, qui nos ad aliorum intelligentiam veluti manuducant: eoque magis quod Arnaldus ipſe, cujus verba commodius infra referemus, diſciplinam Pœnitentiæ maximè viguiſſe ait iis ſexaginta annis, qui a ſuſcepto Baſilii Epiſcopatu anno 370. ad obitum S. Auguſtini anno 430. effluxere: præterea ejus temporis ſupereſſe nobis certiora & clariora monumenta: cum autem ex ejus ætatis Patribus præcipui nominis apud Janſenium, Arnaldum, Queſnellum ſit *Auguſtinus*, non erit, quod mihi ſuccenſeant, ſi ejus mentem ac ſenſum; primo ante alios loco, mihi inveſtigandum ſuſcipiam: De Auguſtino itaque diſſeramus.

Quatuor, ut vidimus, ex S. Doctore monumenta in ſui erroris confirmationem tranſcribit Arnaldus, quem fidiſſimus Diſcipulus Queſnellus ſequitur.

1. Homiliam olim 50. de utilitate, & neceſſitate Pœnitentiæ, quæ nunc eſt ſermo 351. Tom.V. Maurinæ editionis. Quam Homiliam ait Arnaldus L. de Freq. Comm. P.2. c.VI. p. mihi 215. *jure divinam dixeris*.

2. Homiliam olim 52. de Tempore, quæ nunc eſt ſermo 229. in Appendice eodem Tomo V. eſtque non S. Auguſtini, ſed S. Cæſarii.

3. Homiliam 57. de Tempore; quæ nunc eſt 255. Appendicis, eſtque non S. Auguſtini, ſed S. Cæſarii.

4. Sermonem 34. de Diverſis, qui nunc eſt ſermo 278. ex veris S. Auguſtini ſermonibus.

Ac quidem de S. Cæſarii ſermonibus ſuo loco dicetur, ubi mentem S. hujus Archiepiſcopi inveſtigabimus: Hoc autem loco de S. Auguſtino acturi

1. De-

Digitized by Google

1. Demonſtrabimus Homiliam olim 50., nunc ſerm.351., & ſermonem 34. de Diverſis, nunc 278., in quibus ex veris S. Auguſtini ſermonibus præcipuum firmamentum cauſæ ſuæ conſtituit Arnaldus, & poſt eum ſectatores, non modo nihil pro ipſis facere, imo vero contra ipſos plurimum, etſi nulla alia S. Doctoris teſtimonia eſſent nobis ad manum. Quare conſtabit locum hic habere, quod eſt apud Auguſtinum l.2. contra Epiſtolam Parmeniani cap.1. „ Hominem clauſis, ut „ dicitur, oculis, tamquam in alterum jacere, quod in eum, „ qui jecit, continuo redeat, eumque ictu reciproco affligat, „ intacto illo, quem vulnerare voluerat „.

2. Demonſtrabimus ex aliis ſermonibus, ac ſcriptis S. Doctoris ea doceri, quæ Arnaldi Doctrinam evertant penitus.

§. I.

Expenditur Homilia olim L. nunc Sermo 351.

I. Pœnitentia ante Baptiſmum adultorum, qui Auguſtini ætate vivebant, non modo neceſſaria, ſed difficilis, dubitationibus, & anxietatibus ſacerdotum obnoxia erat non minus, ac ſit pœnitentia adultorum ante ſacramentalem abſolutionem: II. Modus quo Epiſcopi, ac Sacerdotes Auguſtini ætate judicabant de diſpoſitione adultorum ante baptiſmum, eamque probabant, norma eſſe poteſt, ac debet Sacris Paſtoribus judicandi de diſpoſitione adultorum ad recipiendam abſolutionem, eamque diſpoſitionem probandi. III. Ex his expugnatur duplex Capitalis Aſſertio Novatorum : Primo *neceſſariam eſſe longam dilationem Abſolutionis, ut vera contritio eliciatur :* Secundo, *eſſe neceſſariam ut ea rite probetur.*

AUGUSTINUS.

„ QUam ſit utilis, & neceſſaria pœnitentiæ medicina, „ inquit Aug. ab initio capitis I., facillimè homines in„ telligunt, qui ſe homines eſſe cognoſcunt: Scriptum eſt „ enim.... Quoniam qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui

„ ſe

Digitized by Google

„ ſe humiliat exaltabitur, magiſque juſtificatus deſcendit de „ templo Publicanus ille peccatorum confeſſione ſollicitus, „ quam Phariſæus meritorum enumeratione ſecurus ... Non „ ergo mirum, ſi Publicanus magis curatus abſceſſit, quem „ non puduit oſtendere, quod debebat .... Quiſquis itaque „ pœnitentiæ recuſat humilitatem, Deo propinquare non co- „ gitat ... Qui ante illum ſe projicit, ab illo erigitur; qui „ adverſus illum ſe erigit, ab illo projicitur ....

COROLLARIUM.

Ex his S. Auguſtini verbis infertur: cum *Pœnitentiæ*; quæ *utilis*, *& neceſſaria medicina eſt*, exemplar ab Auguſtino proponatur Pœnitentia *Publicani*, hæc autem non admodum prolixi temporis fuerit; (peccator quippe ingreſſus eſt templum, in quo pœnitentiam juſtificantem egit,) inde conſtat male ſcribi ab Arnaldo, quod Pœnitentia ex generali lege opus ſit longi, imo longiſſimi temporis. Id falſum eſſe vides evinci ex S. Doctore.

AUGUSTINUS.

„ Tres ſunt Actiones Pœnitentiæ, inquit Aug. cap.2. „ quas mecum veſtra eruditio recognoſcit. Sunt enim uſitatæ „ in Eccleſia Dei, & diligenter adtendentibus notæ. Una eſt „ quæ novum hominem parturit, donec per Baptiſmum ſa- „ lutarem omnium præteritorum fiat ablutio peccatorum, ... „ Omnis enim, qui jam arbiter voluntatis ſuæ conſtitutus eſt, „ cum accedit ad Sacramenta Fidelium, niſi eum pœniteat „ vitæ veteris, novam non poteſt inchoare. Ab hac pœni- „ tentia, cum baptizantur ſoli parvuli ſunt immunes; non- „ dum enim uti poſſunt libero arbitrio .... Exceptis ergo „ talibus .... ceterorum hominum nullus tranſit ad Chri- „ ſtum, ut incipiat eſſe, quod non erat, niſi eum pœniteat „ fuiſſe, quod erat. Hæc prima pœnitentia præcipitur Judæis, „ dicente Apoſtolo Petro *Pœnitentiam agite*, *& baptizetur* „ *unuſquiſque veſtrum*: Talis ab ipſo Domino imperabatur,

„ cum diceret *Pœnitentiam agite*, *appropinquavit enim* „ *Regnum Cœlorum*. De hac etiam Johannes Baptiſta, ple- „ nus Spiritu Sancto præcurſor, & præparator viæ Domini „ ita dicit: *Generatio viperarum quis oſtendit vobis fugere* „ *a ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*.

COROLLARIUM I.

Ex hiſce S. Auguſtini verbis infertur: Quoniam pœnitentia neceſſaria & utilis & ſufficiens ad fructum Baptiſmi eadem eſt ac pœnitentia neceſſaria & utilis & ſufficiens ad fructum Confeſſionis Sacramentalis ſequitur, quod quæ dicuntur de pœnitentia neceſſaria & utili & ſufficienti ad Baptiſmum, eadem dicenda ſint de pœnitentia neceſſaria & utili & ſufficienti ad Confeſſionem rite peragendam: *Rite* inquam, ideſt valide, & cum fructu remiſſionis lethalium, & pœnæ æternæ; Nam *ad integram* remiſſionem etiam temporalis pœnæ majus quid in Sacramento Pœnitentiæ requiritur: Et hoc unum probant quæ ſibi videtur in contrarium afferre Morinus L. 3., & Lib. 8. c. 7. num. 17.

Quod ſumpſimus in Corollario hoc primo, eamdem eſſe pœnitentiam neceſſariam & utilem & ſufficientem ante Baptiſmum, & poſt Baptiſmum, id docetur a Tridentino Seſſ. 14. cap. 4. „ Contritio quæ primum locum inter dictos pœnitentis „ actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato com- „ miſſo cum propoſito non peccandi de cetero „ Contritio hæc quæ ſola a Tridentino exponitur, uti pars Sacramenti, eſt utique etiam ſufficiens. Si quis fidelis pœnitens eum dolorem habeat, qui ſibi a Concilio Eccleſiam inſtruente proponitur, habet quod ſufficit; nec præterea ad alium dolorem ex obligatione, ac debito cogendus eſt: ſecus enim a Tridentino prætermiſſus fuiſſet dolor ſufficiens; ideſt in tam longa, & operoſa Inſtructione prætermiſſum fuiſſet, quod erat magis neceſſarium. Præterea capite præcedenti, ideſt III. dixerat „ Sacramenti Pœnitentiæ formam .... in illis miniſtri „ verbis poſitam eſſe: Ego te abſolvo: Addiderat „ Sunt au- „ tem quaſi materia hujus Sacramenti ipſius pœnitentis actus, „ nempe contritio, Confeſſio, & ſatisfactio: qui quatenus

„ in pœ-

Digitized by Google

„ in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & „ perfectam peccatorum remiſſionem ex dei inſtitutione re„ quiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur „ Si autem hæc tria *requiruntur*, ſed ita, ut non ſufficiant, quo pacto Tridentinum ſtetit promiſſis factis in proemio ejuſdem Seſſionis XIV. „ Sacroſancta... Synodus.... quamvis in decre„ to de Juſtificatione, *multus* fuerit de Pœnitentiæ Sacramen„ to, propter locorum cognationem, neceſſaria quadam ra„ tione *ſermo interpoſitus*, tanta nihilominus circa illud „ noſtra hac ætate diverſorum errorum eſt multitudo, *ut* „ *non parum publicæ utilitatis retulerit, de eo exactiorem,* „ *& pleniorem definitionem tradidiſſe*, in qua demonſtra„ tis, & convulſis, Spiritus Sancti præſidio, univerſis er„ roribus *Catholica veritas perſpicua, & illuſtris fieret*, „ quam nunc S. Synodus *Chriſtianis omnibus perpetuò ſer*„ *vandam proponit* „ Quare Janſenius ipſe Tom. 3. Libro quinto De Gratia Chriſti licet toto Cap.XXXIV. propugnet ſolam attritionem ex metu gehennæ non ſufficere ad juſtificationem acquirendam cum Sacramento, ſed requiri contritionem, quæ ſit *veri nominis & rationis contritio, licet imperfecta*: Quam ipſe paulo ſupra dixerat *contritionem veri nominis, rationis, & eſſentiæ*, tamen eodem illo Capite XXXIV. ſine dubitatione fatetur, & docet, ac probat ea Tridentini verba -- *Contritio animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cetero* -- omnino accipienda de contritione neceſſaria, & ſufficienti, ut conſtabit legenti Janſenium citato capite. Pergit Tridentinum „ Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam pec„ catorum hic contritionis motus neceſſarius „ ideoque etiam in Baptiſmo: Neque ſolum neceſſarius, ſed præterea ſufficiens, quandoquidem ſufficiens eſt poſt Baptiſmum in Sacramento Pœnitentiæ: Niſi contra omnem antiquitatem, de qua ipſe Morinus Lib.3. dicere velis majorem diſpoſitionem requiſitam ad Sacramentum Baptiſmi, quam ad Sacramentum Pœnitentiæ -- *Ad Baptiſmum .... certe non major diſpoſitio, quam ad pœnitentiam neceſſaria* -- ſcribit locupletiſſimus hac in re Teſtis Janſenius Tom.3. L.5. cap.34. pag. mihi 592.

Doctrinæ datæ præiverat Auguſtinus verbis ſupracitatis „ Omnis ... cum accedit ad Sacramenta fidelium, niſi eum „ pœniteat vitæ veteris, novam non poteſt inchoare... Nul- „ lus tranſit ad Chriſtum, niſi eum pœniteat fuiſſe quod erat „ Auguſtino præiverat Tertullianus in Lib. de Pœnitentia „ An „ alius Intinctis eſt Chriſtus, alius Audientibus (nempe alius „ Baptizatis, alius Catechumenis) num ſpes alia vel merces, „ alia formido judicis, alia neceſſitas pœnitentiæ? Lavacrum „ illud obſignatio eſt fidei, quæ fides a pœnitentiæ fide in- „ cipitur, & commendatur. Non ideo abluimur ut delinque- „ re deſinamus, ſed quia deſiimus, quoniam jam corde loti „ ſumus. Hæc enim prima Audientis intinctio eſt, metus „ integer. Exinde quoad Dominum ſenſeris, fides ſanâ con- „ ſcientiâ ſemel pœnitentiam amplexata „ Quorum verborum Tertulliani de neceſſitate pœnitentiæ etiam ante Baptiſmum, & modo, & alibi etiam, iuvabit meminiſſe.

Ceterum in re non controverſa, & cui ſolum ex Morino loco ſupra citato aliquid caliginis offundi poſſet, ſatis iſta fuerint: ab aliis autem ſacris teſtimoniis referendis ſuperſedeo.

COROLLARIUM II.

Si Auguſtinus cenſebat pœnitentiam eſſe & neceſſariam, & utilem ad fructum Baptiſmi (quod judicium non fuit opinio quædam Auguſtini ſingularis, ſed communis aliorum Epiſcoporum ac Patrum, & Eccleſiæ ſenſus, uti conſtat ex Bellarmino de Pœnit. Libris I. & II. paſſim) ſi inquam Auguſtinus cum aliis Epiſcopis ita cenſebat, hinc colligitur, quod cum Auguſtinus atque alii ad Baptiſmum Catechumenos admittebant, utique habebant de Baptizandorum pœnitentia tantam vel certitudinem vel veroſimilitudinem, vel probabilitatem ſive poſitivam, ſive negativam, quanta ſatis erat, & requirebatur ad licite iiſdem conferendum Sacramentum Baptiſmi. Neque vero per ſe loquendo nos majorem, aut probabilitatem, aut veroſimilitudinem, aut certitudinem pœnitentiæ requirere poſſumus aut debemus in iis, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum confugiunt.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM III.

Si S. Auguſtinus, aliique Epiſcopi, dum ad Baptiſmum admittebant adultos Catechumenos, habebant vel certitudinem, vel probabilitatem, ſive poſitivam, ſive negativam in judicando de pœnitentia baptizandorum, quantum ſatis erat ad Baptiſmum licite conferendum, ſequitur quod in eorum Epiſcoporum animo hoc judicium conſiſteret in ſenſu compoſito, ſive eo ipſo tempore, quo pro certo habebant eos Baptizandos pro maxima ipſorum parte, nequaquam perſeveraturos in eadem pœnitentia, ac bono propoſito, imo tamquam canes reverſuros ad vomitum, & graviſſimorum ſcelerum fæditate iterum coinquinandos. Quod enim Patres pro certo haberent eos, quos ad Baptiſmum admittebant, potiori ſui parte non perſeveraturos, certo certius eſt ex ipſorum monumentis.

Profecto Auguſtinus in Vigiliis Paſchæ alloquens recens Baptizatos Serm. 223. al. de diverſis 81. „ Neque miremini „ multitudinem Chriſtianorum malorum, qui Eccleſiam im„ plent, qui ad altare communicant .... per quos impletur „ quod congregator noſter prædixit in pſalmo: *Annuntiavi,* „ *& locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum* „ Et ſequenti ſermone 224. al. de Temp. 164. „ Ecce facti eſtis „ membra Chriſti.... Timeo vobis non tantum a Paganis, „ non tantum a Judæis, non tantum ab Hæreticis, quan„ tum a malis Catholicis .... Si turbam imitari volueritis, „ inter paucos anguſtam viam ambulantes non eritis „ Habes itaque quam bene Auguſtinus ipſo Paſchali tempore ad Baptiſmum adminiſtrandum deputato, animadverteret ad magnum numerum non perſeverantium, eoſque ipſos non Auguſtino tantum, ſed *Chriſto ipſo annunciante & loquente* multiplicatos ſuper numerum -- Sæpiſſime in ejus Libris occurrunt gemitus Auguſtini de paucitate bonorum poſt Baptiſmum. In Pſalmum 47. num. 9. „ Jam hic occurrit unicuique cogitanti „ Et quid? Iſte populus qui in medio populi ſuſcipit miſe„ ricordiam Dei, quantum numerum habet? Quam pauci „ ſunt? Vix invenitur aliquis: „ His autem reſpondet Au-

guſtinus confugiendo ad bonos latentes, de quibus ait „ Multi „ ſunt, ſed inter plures latent; non poſſumus enim negare „ plures eſſe malos, & tam plures ut inter eos prorſus bo„ ni non appareant, quomodo non apparent grana in area: „ Nam quisquis aream videt, poteſt putare quod palea ſo„ la ſit. „

Conſtat itaque quod in hoc Corollario III. maxime intendimus, Auguſtinum, alioſque Epiſcopos tum ejuſdem, tum præcedentium, & conſequentium ætatum habuiſſe circa Baptizandos, quos ad Sacramenta admittebant, habuiſſe inquam duplex hoc Judicium, quorum primum erat -- *Habemus ſufficientem perſuaſionem*, *quantum Leges Chriſti & Eccleſiæ requirunt*, *de pœnitentia præſenti horum Baptizandorum neceſſaria*, *atque utili* -- Alterum erat -- *Habemus quoque perſuaſionem*, *imo certitudinem indubitatam*, *quod maxima pars Baptizandorum reditura ſit ad priſtinos mores*, *& futuri ſint CANES HORRIBILES OCULIS DEI*, *CONVERSI AD VOMITUM SUUM*, ut de his loquitur Auguſtinus hoc ipſo Sermone cap.5. n.12.

Cum autem per *COROLLARIUM I.* idem judicium ſit de Pœnitentia accedentium ad utrumque Sacramentum Baptiſmi & Confeſſionis, habemus quod ſiquidem inhærere velimus principiis S. Auguſtini, aliorumque veterum Patrum & Epiſcoporum, eorumque praxi, habemus, inquam, poſſe ſacerdotes de Pœnitentibus ſuis habere duplex ſimile judicium -- *Quantum ſatis eſt*, *perſuaſi ſumus de præſenti diſpoſitione*, *ac contritione horum pœnitentium* -- *Simul etiam perſuaſi ſumus quod maxima pars nequaquam in bono propoſito perſeverabit*.

Ex his colliges inefficax omnino, & ſophiſticum eſſe Arnaldi Argumentum, quod tam ſæpe obtrudit, & oratorie amplificat tum Libro de Freq. Commun. tum in alio poſteriore *La Tradition de l'Egliſe &c.* præcipue a pag.68. Præfationis „ Abſoluuntur, inquit, magno numero pœnitentes, & iidem „ magno numero redeunt ad conſueta peccata, ergo praxis „ hodierna abſolvendi, niſi longa prævia ſatisfactione & emen„ datione præmiſſa, abuſus eſt maximus: „ *Or je demande* in-

Digitized by Google

inquit p. illa 68., *a tous les hommes equitables, s'y a rien qui favoriſe davantage l'impenitence des Pecheurs, que cette conduite?* Nimirum ſi eſt graviſſimum abſurdum, quod abſolvantur adulti maxima ex parte non perſeveraturi, abſurdiſſimum etiam fuit, quod olim per tot ſecula baptizarentur adulti, quos maxima ex parte perſeveraturos non eſſe, æque certum erat; Cum tamen æqualis in utroque adultorum genere contritio cum ſerio propoſito requiratur.

Si dicat Arnaldus non modo de tota pœnitentium ad Confeſſionem accedentium collectione verum eſſe, quod potiſſima eorum pars ad eaſdem culpas revertetur, ſed idipſum pene de ſingulis in particulari verum eſſe ſolere; facile erit reſpondere paria omnia dici poſſe de adultis qui prioribus Eccleſiæ ſæculis baptizabantur. Si enim experientia, quam habemus de collectione pœnitentium confitentium peccata ſua, & maxima ex parte relabentium præſtat, ut fere de ſingulis cenſeamus eos relapſuros; ſimilis experientia, quam Auguſtinus, aliique veteres Patres habebant de collectione baptizatorum adultorum potiſſima ex parte revertentium ad conſuetas culpas præſtare debebat, ut fere de ſingulis in particulari baptizandis judicare deberent eos paſſuros relapſum. Quare nulla, quæ ad rem faciat, diſparitas produci poteſt.

Diximus actum pœnitentiæ, qualis a Tridentino docetur eſſe pars Sacramentalis Confeſſionis, debuiſſe neceſſario eſſe in baptizandis: diximus Auguſtino, aliiſque Patribus, quantum ſatis, perſuaſum eſſe debuiſſe, quod baptizandi hunc actum haberent: diximus Auguſtino, aliiſque id, quantum ſatis erat, perſuaſum fuiſſe & eſſe debuiſſe, etiam cum pro certo habebant magnam, imo maximam eorum partem nequaquam perſeveraturos. At ſuſpicari quis poſſet: Quod quidquid eſſet de futuro relapſu, ſaltem in præſenti, cum ad Baptiſmum accedebant, imo tempore ipſo, quo Catechumeni Audientes, aut Competentes erant maxima quædam indicia darent, & teſtimonia actualis diſpoſitionis, ac doloris, quæ noſtra ætate non dantur ab accedentibus ad Sacramentum Confeſſionis: Ut hanc reſponſionem præoccupemus, Sit

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM IV.

Perſuaſio quam, quantum ſatis erat, habebat Auguſtinus cum aliis Patribus de actuali Pœnitentia Baptizandorum inniti non poterat magis quibuſdam indiciis, & teſtimoniis internæ diſpoſitionis, quæque certitudine ſua ſuperarent ea argumenta, quibus Sacerdotes, qui hodiernam Eccleſiæ praxim, & probatas Eccleſiaſticas Inſtructiones ſequuntur, ſibi ſuadere ſolent pœnitentes ſuos, quantum ſatis, eſſe diſpoſitos.

Oſtenditur: miſſis iis, qui ſimpliciter Catechumeni ſive *Audientes* dicebantur, & de quorum meritis non admodum diſtincte cognoſcebat Eccleſia, in iis qui dicebantur Catechumeni *Competentes*, & propiores erant baptiſmo, tempus Catechumenatus per Eccleſiam utramque Orientalem, & Occidentalem fuit ſatis communiter dierum quadraginta, præcipue ſub ætatem Auguſtini, & per illud ſpatium ſexaginta annorum ab Epiſcopatu inchoato Baſilii ad obitum Auguſtini anno 430. Lege S. Cyrill. Jeroſolym. Catech. 1. „ Tot annorum circulos tranſegiſti, mundo fruſtra operam navans, & quadraginta diebus non vacabis pro anima tua? Idipſum ſæpe alias indicat, quemadmodum & Hieronymus in Epiſ. ad Pammachium, Siricius in Epiſ. ad Himerium, S. Auguſtinus in ſermonibus ad Baptizandos, aliique. Imo illud tempus contractum fuiſſe deinde ad dies decem & octo colligitur ex Amalario Lib. de Eccleſiaſ. Officiis cap. 8. Yvone Carnotenſi. Sermone de Sacramento Neophytorum, aliiſque; Scilicet inchoabatur Catechiſmus fer. IV. hebdom. IV. Quadrageſimæ.

Quæ hujus temporis decurſu a Competentibus requirebat Eccleſia, ad duodecim cæremonias revocat Bellarminus L. 1. de Baptiſmo cap. 25. quorum undecim neque in ſe admodum laborioſæ cæremoniæ erant, neque certa indicia pœnitentiæ interioris, quippe quæ fere æque facile proficiſci poterant ſive ex corde puro, conſcientia bona, fide non ficta, ſive etiam ex immundo corde, conſcientia prava, ſimulata fide, quamquam ad myſteria fidei noſtræ ſignificanda magnam haberent utilitatem. Hujuſmodi erant dare nomen, ſcrutinium, abre-

Digitized by Google

abrenunciatio Satanæ, fidei profeſſio, ſignum Crucis, exorciſmus, exſufflatio, guſtus ſalis, impoſitio manuum cum Sacerdotali benedictione, & unctio. Iſtæ ſunt undecimo priores.

Duodecima cæremonia, quam numerat Bellarminus, erat abſtinentia vini & carnium, & etiam rei uxoriæ, aliaque opera pœnitentiæ non quidem ad ſatisfactionem, ſed ut paratiores accederent ad Baptiſmum: ut ex S. Cyr. Catech. 1. & ſeqq. Aug. L. de fide & oper. c. 6., aliiſque Patribus: Auguſtini verba ſunt „ Ad Baptiſmum ſine dubio non admitterentur, ſi per ipſos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, „ ſuis nominibus datis, abſtinentia, jejuniis, exorciſmiſque „ purgantur, cum ſuis legitimis, & veris uxoribus ſe concubituros profiterentur, atque hujus rei, quovis alio tempore licitæ, paucis ipſis ſolemnibus diebus nullam continentiam ſervaturos „ Et paulo poſt „ Recuſans (hujus continentiæ) „ obſervationem non admittitur conjugatus: „ Hæc videri poſſent apta ad rite judicandum de interna diſpoſitione Competentium.

Utrum hoc ita ſit, pendet plurimum ex ea controverſia, quæ apud recentiores agitari ſolet *de Confeſſione* Catechumenorum, an hæc habuerit locum inter opera Pœnitentiæ? Scripſit Morinus Opus adhuc ineditum, teſte Simonio *Lettres Choiſies* Lett. 3. quod inſcribitur -- *De Expiatione Catechumenorum* -- Morino ſatis adhæret Simonius ea Epiſtola 3. inquiens admodum inexercitatum in legendis Patribus eum eſſe oportere, qui neſciat a baptizandis emiſſam confeſſionem ſuorum criminum. Non ego profecto univerſaliter negaverim editam fuiſſe a baptizandis confeſſionem ſuorum criminum. S. Cyrillus citata Catecheſi I. „ Tempus præſens tempus eſt confeſſionis, confiteare quæ perpetraſti, ſive verbo, ſive opere, ſive noctu, ſive interdiu; confitearis tempore acceptabili, & in die ſalutis: ſuſcipe cœleſtem theſaurum, & „ in exorciſmis ſtudiosè verſeris.

At nullo monumento probabitur, quod ea confeſſio fuerit peccatorum in particulari ſecundum omnes ſpecies, & circumſtantias: Idem ille Tertullianus qui ſub finem Libri de Baptiſmo „ Ingreſſuros Baptiſmum, inquit, orationibus cre-

Digitized by Google

„ bris, jejuniis, & geniculationibus, & pervigiliis orare opor-
„ tet, & cum confeſſione omnium retro delictorum; ut ex-
„ ponat etiam Baptiſmum Joannis: *tingebantur*, inquit, *con-
„ fitentes delicta ſua* „ idem inquam Tertullianus ſtatim ad-
„ dit „: Nobis gratulandum eſt, ſi non publice confitemur ini-
„ quitates, & turpitudines noſtras „ Ea itaque confeſſio, quæ cum aliis operibus laborioſis publice exhibitis connumeratur, non erat cum ea neceſſaria erubeſcentia, quam ſecum fert manifeſtatio iniquitatum, & turpitudinum in particulari.

Facillimum erat itaque in eo rerum ſtatu eludere diſciplinam Eccleſiæ, quæ per Epiſcopum, aut Presbyterum requireret a Catechumeno Competenti continentiam ab uxore per eos dies: Quid enim facilius, quam dare bona verba, & ſaltem non profiteri ſe concubiturum cum uxore? non palam dicere: *nullam per hos dies ſolemniores continentiam ſervare volo*: Hoc erat ſatis ut ab ea verborum impudentia abſtineret, facturus deinde impune in occulto, quod ſibi liberet, non cum uxore modo, ſed cum ancillis, & meretriculis.

Ceterum licet demus uſum invaluiſſe apud baptizandos prioribus ſæculis, ut peccata ante Baptiſmum commiſſa confiterentur, etiam ſecundum ſpecies & circumſtantias, certiſſimum tamen eſt apud Catholicos id non fuiſſe ex ulla ſive Chriſti, ſive Eccleſiæ lege, quæ in nondum baptizatos juriſdictionem non habet. Liberum itaque erat vel ex ſincera devotione omnes in particulari culpas exponere, vel illas tantum, quarum minus pudebat, quæque apud non Baptizatos ita vulgares & communes erant, ideoque & aliunde notæ, ut ſine erubeſcentia manifeſtarentur: Hinc Paulus I. ad Corinth. cap. 6. cum dixiſſet: „ Neque fornicarii, neque idolis
„ ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculo-
„ rum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi,
„ neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt: „ His dictis hæc ſubjecit *Et hæc quidem fuiſtis*, ſed abluti eſtis: Quamvis itaque negligentiſſimi fuiſſent ii Catechumeni Competentes in orationibus, & jejuniis, aliiſque laborioſis operibus domi exequendis, imo ſeſe crapula & vino ingurgitaſſent, quamvis non modo non abſtinuiſſent ab uxoribus,
ſed

Digitized by Google

ſed multiplici occulto adulterio, fornicatione, ſodomia, mollitie, omnique genere turpium delectationum, ſive mente, ſive corpore ſeſe inquinaſſent, quamvis effuſi fuiſſent in omnem injuſtitiam, odia, veneficia, incantationes, ſortilegia, ſuperſtitiones ſecundum priſtinam ſuam conſuetudinem, hæc aliaque innumera poterant abſcondi impune, nullamque certam rationem de his cognoſcendi habebat Eccleſia. Habebantur quidem Baptizandorum ſcrutinia coram Eccleſia; at Sacerdotes hac ratione certiores fieri poterant de publicis delictis, non de innumeris occultis quæ ſub ſcrutinia non cadunt. Itaque duodecima cæremonia, ſi ſequamur Bellarmini numerationem, ideſt opera ſalutaria Catechumenis Competentibus præſcripta parum deſerviebant, ut poſſet Eccleſia tutò judicare de interna diſpoſitione neceſſaria ad Baptiſmum, vera ſcilicet interna pœnitentia, quandoquidem & ea opera ſalutaria intra domeſticos parietes peracta fugiebant intuitum Eccleſiæ, & hæc nulla auctoritate cogere baptizandos poterat ad veritatem dicendam.

Longe certioribus argumentis poſſunt Sacerdotes judicare de diſpoſitione interna confitentium. Nam tametſi non præmittant eas undecim cæremonias omnium oculis conſpicuas, quas Baptizandi uſurpabant, at ex Chriſti lege præmittunt confeſſionem culparum ſuarum omnium, quantum ad ſpecies & numerum: Quod unum opus obedientia, abnegatione, humilitate, quam ſecum adnexam habet, & difficultate ſua quammaxime excedit (*a*) undecim eas laborioſas cæremonias,

(*a*) Multis opus non eſt ad Confeſſionis Sacramentalis difficultatem comprobandam, cum eam, & Catholici fateantur, & Proteſtantes non fateantur modo, ſed plus æquo extollant. Trident. ſeſſ.14. cap.V. „ Ipſa „ vero hujuſmodi Confeſſionis diffi„ cultas, ac peccata detegendi vere„ cundia gravis quidem videri poſſet, „ niſi tot, tantiſque commodis & „ conſolationibus levaretur &c. „ Quamvis ergo ſint ſpiritualia commoda, gravamen tamen naturæ ſenſibilis a Concilio non negatur, imo ſupponitur. Eodem capite ait Concilium. „ Impium eſt Confeſſionem, quæ hac „ ratione fieri præcipitur, impoſſibi„ lem dicere, aut carnificinam illam „ conſcientiarum appellare „. Quæ contra Lutherum dicta ſunt in Aſſertione Articuli 9. ubi Confeſſionem appellat *Carnificinam cruentiſſimam conſcientiarum*: Imo Calvinus de ſola lege confitendi numerum, & ſpecies ita habet lib.3. Inſtit. cap.4. „ Dicam in „ ſumma, qualis lex illa fuerit: ſim„ pli-

Digitized by Google

nias, quas enumeravimus, baptiſmo prævias, ac propterea certius teſtatur de pœnitentia congrua interiori, quam univerſæ eæ cæremoniæ. Præterea cum confitens teneatur aperire conſcientiam ſuam non modo, quantum ad lethalia crimina, ſed etiam quantum ad alia quædam, de quibus interrogetur, quæque ad ſtatum pœnitentis cognoſcendum conducant, inde fit, ut longè accuratius definiat Sacerdos de dolore accedentis ad Confeſſionem, quam olim de dolore accedentis ad Baptiſmum.

His addi debet, quod priſcis Eccleſiæ ſeculis Catechumeni *Audientes*, prout a *Competentibus* proceſſu temporis diſtingui cæpere, eo uſque abutebantur doctrina Catholica de vi, & efficacia Baptiſmi ad remittenda graviſſima quæque peccata, ut inde occaſionem caperent, & Baptiſmum differendi, & interim, quibus poſſent, vitiis, ac voluptatibus indulgendi, ſpe ſcilicet concepta univerſalis veniæ, qua de re apud Baſilium, Nazianzenum, alioſque Patres, querelæ leguntur innumeræ. Atqui hac mala cogitatione pulſatos fuiſſe quamplurimos Catechumenorum, etiam *Competentium* per dies 40. ante Baptiſmum quis dubitare poſſit? Nota ſunt illa Auguſtini L. 1. Confeſſ. cap. XI. „ Etiam nunc de aliis, atque aliis ſonat un-„ dique in auribus noſtris? Sine illum, faciat quod vult; non-„ dum enim baptizatus eſt: E tamen in ſalute corporis non „ dicimus: ſine; vulneretur amplius, nondum enim ſanatus „ eſt „. Plura in hanc rem ſcripſerat Tertullianus ducentis ante Auguſtinus annis Lib. *De Pœnitentia* „ Dicunt quidem „ (Catechumeni) priſtinis renunciare, & pœnitentiam aſſu-„ munt, ſed includere eam negligunt: Interpellat enim illos „ ad deſiderandum de priſtinis aliquid ipſe finis deſiderandi... „ Omne præterea cunctationis, & tergiverſationis erga pœ-„ nitentiam vitium præſumptio intinctionis (ſive Baptiſmi) „ importat: certi enim indubitatæ veniæ delictorum medium „ tempus interim ſurantur, & commeatum ſibi faciunt de-„ lin-

„ pliciter eſt impoſſibilis „. Hæc oſtendunt, quantum laboris ex Confeſſione patiantur carnales homines, niſi Chriſti gratiam attendant, qua Jugum ejus ſuave fit, & onus leve. Nulli neque Catholici, neque Hæretici tam multis amplificarunt Catechumenorum laborioſa opera, atque ea exaggeravere.

Digitized by Google

„ linquendi : „ Plures enimvero ſunt, qui cum animo deſtinaverint Sacramentaliter confiteri, augent numerum criminum, perinde ac ſi parum interſit, ſive viginti, ſive triginta lethalia Confeſſario exponant: Id ego non nego, ſed vehementiſſime doleo. At adverſarios in iſto ipſo convinco; Etenim ſi Sacramentalis confeſſio animo præconcepta atque decreta plures, non ſuo, ſed hominum vitio, allicit ad augendas culpas prævio eo tempore, quarum culparum ſpecies, ac numerus neceſſario manifeſtandus quo gravior eſt, ac major, eo etiam magis pudendus eſt, quid iis frequentiſſime acciderit Catechumenis *Competentibus*, qui utut maxime libidines ſuas per eos dies uſque ad Baptiſmum explerent, certi erant, ſe nullum dedecus, aut pudorem paſſuros ex iis culpis, quas ſine ſacrilegio diſſimulare omnino poterant? Ex his uberius confirmatum habes, quod in judicio Auguſtini, ac veterum Patrum de interna diſpoſitione Adultorum Baptizandorum minus erat claritatis ac firmitatis, quam inſit illi perſuaſioni, quæ poteſt, ac ſolet ætatis noſtræ Confeſſariis de diſpoſitione pœnitentium ineſſe.

COROLLARIUM ULTIMUM.

Iis ſtantibus quæ præmiſſa ſunt, concluditur S. Auguſtinum, & reliquos cum eo Patres, (quos in hac praxi ab Auguſtino diſcrepaſſe eodemque Auguſtino ſeveriores, ac rigidiores fuiſſe; difficile demonſtrabitur) cenſuiſſe eos Adultos ad Baptiſmum fuiſſe indiſpoſitos, qui vel publici peccati ſtatum, in quo erant, non dimittebant, vel in reliquis gravibus culpis ſe perſeveraturos nullo anteactæ vitæ dolore profitebantur; Qui vero, & pravum, in quo erant, peccati ſtatum, dimitterent, & præteritorum dolorem cum futura emendatione teſtarentur, concomitantibus nonnullis per ſe æquivocis pietatis operibus, ſive cæremoniis ſupra indicatis, ii ad Baptiſmum diſpoſiti, quantum erat ad interioris pœnitentiæ neceſſitatem, exiſtimabantur. Corollarium hoc ex præmiſſis deſcendit: non enim ſupereſt quid præterea requirere poſſent ad definiendum de Adultorum diſpoſitione.

Sed

Digitized by Google

Sed præterea *Corollarium* conſtat ex Auguſtino Lib. de fide, & operibus, ubi totus eſt in explicanda neceſſaria diſpoſitione ad Baptiſmum contra eos doctores, qui aſſerebant „ Indiſcrete om-„ nes admittendos eſſe ad lavacrum regenerationis .... etiamſi „ malam turpemque vitam facinoribus, & flagitiis evidentiſ-„ ſimis notam mutare noluerint, atque in ea ſe perſevera-„ turos aperta etiam profeſſione declaraverint .... uſque adeo, „ ut nec apertiſſimi adulterii perpetratores, & ejus perſeve-„ rantiæ profeſſores a Sacramento tantæ ſanctitatis videantur „ arcendi „ Vide Cap.I. & VI. Obiter obſerva: Quam impudenter Arnaldiſtæ, Janſeniani, Queſnelliani abutantur patientia noſtra, cum toties nobis ingerunt ſeveram, ac rigidam Moralem Auguſtini ætate vigentem! Quos mihi doctores dabis qui tam laxas, turpiſſimaſque opiniones publicè propugnent, & ad praxim deducant ætate hac noſtra? At redeamus in viam: Contra hanc pravam opinionem ſcribit Auguſtinus eo Libro „ Meretrices, inquit, cap. 18. & Hiſtrio-„ nes, & quilibet alii publicæ turpitudinis profeſſores, niſi „ ſolutis aut diſruptis talibus vinculis ad chriſtiana ſacramen-„ ta non permittuntur accedere: ..... & niſi egerint ab his „ mortuis operibus pœnitentiam, accedere ad Baptiſmum non „ ſinuntur „ Pœnitentiæ ſcilicet exterioris opera in facie Eccleſiæ ſubeunda, quæque ad undecim cæremonias a Bellarmino, ubi ſupra, enumeratas, eaſque non arduas revocantur; de his enim ſolummodo externis judicare Eccleſia poterat, & Catechumenis ea non explentibus negare ſacramenta.

Subdit Auguſtinus „ Sed ebrioſi, avari, maledici, & ſi „ qua alia vitia damnabilia apertis factis convinci, redargui-„ que non poſſunt, præceptis tamen, & Catechiſmis validiſſime flagellantur, atque omnes tales mutata in melius „ voluntate videntur accedere „ Nota to *videntur*: Nihil enim requiri poterat, niſi apparens, & verbale propoſitum emendationis, quo mutata in melius voluntate viderentur accedere. Hinc capite præcedenti dixerat Auguſtinus „ Cum vero diſ-„ penſator fidelis, & diligens, in erogando paratiſſimus, & „ lucrorum dominicorum avidiſſimus dicit adultero „ *Noli eſſe adulter, ſi vis baptizari; noli eſſe membrum meretricis, ſi vis*

vis fieri membrum Chriſti; ille autem reſpondet *non obedio*, *non facio* -- in hoc eventu laudatur ab Auguſtino Epiſcopus aut Sacerdos negans „ Erit ergo, & ſervus ille ſecu„ rus, nec inter pigros damnabitur, quod dominicum talentum „ noluerit erogare, quandoquidem illi noluerunt, quod ero„ gabat, accipere: Si autem, ſubdit S. Doctor, ſe facturum „ profiteretur, nec faceret „ in tali eventu ſupponitur ab Auguſtino ſine dubitatione admittendus ad Baptiſmum, & appellatur ille Catechumenus ſic admiſſus -- *Intra retia domini bona piſcis malus* -- Quare eodem capite dixerat „ Qui autem „ ſæculo, ſaltem verbis, etiamſi non factis, renuntiant, ve„ niunt quidem, & inter triticum ſeminantur, & in aream „ congeruntur, & ovibus aggregantur, & retia ſubeunt, & „ convivantibus admiſcentur. „ Tandem ſub finem Libri ita concludit „ Non itaque culpentur diſpenſatores fideles, non „ ſua negligentia vel pigritia, ſed quorumdam potius contu„ macia, qui pecuniam dominicam recuſant accipere, & „ adulterinam ſuam cogunt ſervos dominicos erogare, dum „ nolunt ſaltem tales eſſe mali, quales S. Cyprianus com„ memorat, ſæculo verbis ſolis, & non factis renuntiantes, *quan*„ *do nec verbis renuntiare diaboli operibus volunt*, cum „ ſe in adulterio permanſuros voce apertiſſima profitentur „ Si itaque vel voce id profeſſi fuiſſent, aliud non requirere Eccleſia conſueverat præter hanc Baptizandorum pœnitentiam verbalem præſentem, qua una de interiori cognoſcebat, aut conjiciebat, præſuppoſitis ad ſummum quibuſdam cæremoniis pœnitentialibus, cum per tempus eas explere licebat. Nullum eſt autem veſtigium diligentiæ ulterioris, qua adulti interrogarentur, a quo tempore à peccatis occultis abſtinuiſſent, quandoquidem ſcilicet peccata ante Baptiſmum confiteri non cogebantur.

Sæpe mecum cogitavi, quid contra tam apertam ratiocinationem afferri poſſet, etiam ab iis, qui ſophiſticis quoque rationibus delectantur: Fortaſſe nonnemo ex iſtis diceret: Hæc tam a longe repetita de Baptiſmo non ſatis quadrare in controverſiam noſtram: Nam Eccleſia in judicando de ſufficienti diſpoſitione adulti Baptizandi contenta eſſe & debuit, & debet, ſi eum a publico peccati ſtatu diſcedere videat, & audiat

audiat promittentem de futura emendatione cum dolore ante actæ vitæ, non ſine piis externis præſcriptis operibus ſecundum probatam Eccleſiæ diſciplinam: Ubi hoc videat, & audiat, non habet, quo certiori modo de Baptizandi interna diſpoſitione judicet: At Eccleſia ſive Sacerdotes Confeſſarii modum habent ſatis paratum, ac promptum, quo judicent de diſpoſitione interna pœnitentis ex confeſſione criminum, ad quæ Chriſtiani poſt Baptiſmum tenentur, cum obligatione reſpondendi ad eas interrogationes Confeſſarii, quæ neceſſariæ videantur ad explicandum ſtatum peccatoris. Si igitur intelligat hominem recentium peccatorum ſordibus inquinatum nondum ſe purgaſſe longa laborioſorum operum ſerie, judicare non poterit de ſufficienti diſpoſitione, dolore, propoſito, tametſi verbis hæc omnia ille teſtetur.

Reſpondetur I. paria quoad ſubſtantiam, eſſe omnia, imo meliorem conditionem Sacerdotis nunc abſolventis, quam olim Catechumenum baptizantis. Quid diſcit Confeſſarius ex confeſſione peccatoris abſolvendi, quod Auguſtinus aliique Epiſcopi, & Sacerdotes non aliunde jam communiſſimè ſcirent de ſtatu Baptizandorum tanto numero accedentium ad Eccleſiam? Scimus omnes virtutem eſſe paucorum: vulgatiſſimum autem erat eos in peccatis vixiſſe ad id temporis, quo nomen ſuum inter Competentes dabant 40. fere ante baptiſmum diebus *repletos omni iniquitate*, *malitia*, *nequitia*, *plenos invidia*, *homicidio*, *contentione*, *dolo*, *malignitate*, *ſuſurrones*, *detractores*, *deo odibiles*, *contumelioſos*, *ſuperbos*, *elatos*, *inventores malorum*, *parentibus non obedientes*, *inſipientes*, *incompoſitos*, *ſine affectione*, *abſque foedere*, *ſine miſericordia*: quemadmodum Ethnicos deſcribit Paulus ad Romanos cap. I. Quæ, ac ſimilia ſæpe repetit Auguſtinus. Quamplurimos autem eorum per eos quoque 40. dies multis ſe occultis peccatis polluere conſueviſſe, ſi non exiſtimabant Auguſtinus aliique Epiſcopi, nimium illi quidem viri boni, & ſimplices erant: Continuo quippe audiebatur teſte Auguſ. L. I. Confeſſ. Cap. XI. -- *Sine illum*: *quod vult faciat*: *nondum enim baptizatus eſt* -- Itaque ſi nihil obſtante notitia pluſquam certa, quæ vulgo habebatur de recentibus baptizandorum adul-

torum

Digitized by Google

torum peccatis, Auguſtinus aliique Epiſcopi, quantum ſatis erat, judicabant de præſenti illorum diſpoſitione ad Baptiſmum, ex dimiſſione ſtatus peccati publici (ſiquidem forte in eo eſſent) ex verbali teſtimonio ſerii doloris de anteacta vita cum propoſito non peccandi de cetero, ex cæremoniis pœnitentialibus præmiſſis, quæ ſub Eccleſiæ adſpectum cadere poterant, (quæque tamen propter communem uſum parum, aut nihil habebant difficultatis) eoque pacto cenſebant ſe obſervare divinum præceptum *Nolite ſanctum dare canibus* -- quatenus huic materiæ aptari poteſt; his inquam poſitis, plane ſequitur, quod inhærendo his principiis recentia quoque pœnitentium peccata jure divino non impediant, quo minus confeſſarii, quantum ſatis eſt, judicent de actuali diſpoſitione pœnitentium, cum non verſantur in publico peccati ſtatu, & ſerio dicunt de præteritis ſe dolere cum voluntate futuræ emendationis: Dixi *inhærendo his Auguſtini, aliorumque cum eo Epiſcoporum principiis*: Utrum enim eſſe poſſint peculiares quædam rationes diſparitatis ex aliis Principiis, neque ego diſputare volo, neque id Arnaldiſtæ, aut Queſnelliani curabunt, qui omnia ex Auguſtino, & Patribus definire ſe jactant. Dixi *Jure divino*: Quod enim Pontifices, atque Epiſcopi leges aliquot poſitivas ſuperaddere poſſint, quibus reconciliatio pœnitentium peragatur, nihil eſt dubitandum. Stat ergo paritas inter diſciplinam Baptiſmi, & diſciplinam Pœnitentiæ, in hoc ſcilicet, ut quemadmodum peccata proximè præcedentia Baptiſmum per ſe non obſtabant, quo minus baptizandi judicarentur diſpoſiti ad Baptiſmum, ita peccata proxime præcedentia reconciliationem Pœnitentiæ, per ſe non obſtant ex quadam generali veluti lege per Arnaldiſtas, & Queſnellianos aſſerta, quo minus judicari poſſint pœnitentes diſpoſiti ad reconciliationem.

Reſpondetur ſecundò: Hac ipſa de cauſa quod Chriſtus Dominus noluerit obligare baptizandos ad aperienda crimina anteactæ vitæ, ſaltem tempore catechumenatus, nec dare voluerit facultatem Eccleſiæ interrogandi hac de re baptizandos cum obligatione ex parte eorum ad reſpondendum, plane colligitur noluiſſe Chriſtum, ut probatio contritionis ad Baptiſmum requiſitæ duceretur ex abſtinentia diuturna baptizandorum

rum a peccatis, & longa prævia bonorum operum exercitatione; Igitur neque dicendus eſt voluiſſe, ut neceſſaria probatio contritionis ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſitæ ducatur ex ea longa abſtinentia a peccatis cum piorum operum prolixo exercitio. Neque enim Chriſto Domino ſanctius eſt Sacramentum Pœnitentiæ, quam Sacramentum Baptiſmi, neque illius quidem ſanctiſſimam adminiſtrationem curavit, hujus autem neglexit. Evangelicum illud *Nolite ſanctum dare canibus, neque projiciatis margaritas ante porcos*, vel de utroque Sacramento intelligendum eſt, vel de neutro. Si canibus ac porcis adnumerandi peccatores ſunt, qui ad abſolutionem accedunt, neque anteacta flagitia *longo tempore* condigne purgavere, quid eſt, cur iiſdem nominibus compellandi non ſint, qui eodem pacto Baptiſmum invadunt? Æque abominandum, ac deteſtabile eſt, ut alterutris *Sancta*, *&* *Margaritæ* projiciantur; Æque ergo ad avertendum utrumque malum, paria remedia providere debuit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ: Hac itaque agendi ratione docuit nos Chriſtus ad neutrius Sacramenti dignam participationem neceſſariò requiri recentem & præviam prolixi temporis emendationem cum laborioſo piorum operum exercitio: Si enim hæc diſpoſitio neceſſaria eſſet, modum providiſſet de ea ſatis cognoſcenda tum in baptizandis, tum in abſolvendis.

Reſpondetur tertio: Eccleſia ipſa debuiſſet, & nunc etiam deberet modum excogitare, quo Sacramentum Baptiſmi non projiceretur *Porcis*, *&* *Canibus*, hoc eſt ut Arnaldiſtæ, & Queſnelliſtæ interpretantur, peccatoribus non vere dolentibus, & vitæ novitatem proponentibus poſt diuturnam exercitationem piorum operum, quibus purgaverint vitam veterem. Debuiſſet ſcilicet, ac deberet Eccleſia decernere, ne quem adultum Sacerdotes baptizarent, niſi qui interrogatus de vitæ emendatione toto catechumenatus tempore peracta, affirmanter reſponderet ſub juramento, futurus ſacrilegii reus perinde ac baptizatus pœnitens, qui Confeſſario mentiatur, perinde ac Anania, & uxor ejus Saphira mentiti ſunt Spiritui Sancto, cum ſcilicet Actorum c.5. ver.3. „ Dixit autem Petrus, „ Anania . . . . non es mentitus hominibus, ſed Deo: Et

„ ver.8.

Digitized by Google

„ ver.8. dixit ei Petrus : Dic mihi mulier; ſi tanti agrum
„ vendidiſtis? At illa dixit : Etiam tanti.„

Rudimentum aliquod, aut ideam hujus praxis, ſive juratæ cautionis, quam ab Eccleſia ſtabiliri dicimus potuiſſe, atque adeo debuiſſe, præbet Epiſtola Vigilii ad Ruſticum, & Sebaſtianum, quæ recitatur in Quinta Synodo Collatione VII. „ Ante ordinationem tuam, (ita Sebaſtianum alloquitur Pontifex) cautionem nobis propria voluntate legeris emiſiſſe, quam & teſtibus roboraſti, & tactis Evangeliis juramentum corporaliter præſtitiſti, ut quidquid tibi a nobis pro Eccleſiaſtica utilitate tibi fuiſſet injunctum, fideliter, & ſine aliqua fraude compleres; officium vero, locumque Diaconi ſine aliquo vitio, ſine aliqua ſuperbia, ſine aliquo neglectu, donec reverterentur Diaconi memorati, aut quanto te tempore in Levitarum voluiſſemus ordinatione miniſtrare, cum omni humilitate, & ſtudio, ſine neglectu, modis omnibus impleturum : in eadem cautione rurſus adjiciens, quod ſi de his omnibus, quæ cum Sacramento, tactis corporaliter Evangeliis, promiſiſti, aliquid minus impleſſes, tunc a S. Communione eſſes ſuſpenſus; ita ut ſi a die exceſſus tui intra annum, pœnitentiæ noluiſſes colla ſubmittere, tu tibi anathema manu propria ſcribendo dixiſti. Nunc ergo ad præſens factus ſub ea, quam ſperabas, & pollicitus fueras, conditione Diaconus &c. „ Et iterum paulo poſt „ Nos ſecuri, quia talem feceras cautionem &c. „ : Multo ergo magis potuiſſet vetus Eccleſia hanc cautionem juratam inducere, qua Catechumenus ſancte promitteret ſe certum facturum Sacerdotes de peccatis etiam occultis Catechumenatus tempore peractis, deque internis ſuis affectionibus ad Sacramenti validam, ac licitam ſuſceptionem pertinentibus.

Hoc ſane pacto æque bene judicare Sacerdotes potuiſſent, ac poſſent tum de baptizandi, tum de confitentis contritione, iiſque diſpoſitionibus diuturnis, ac laborioſis, quas Arnaldiſtæ & Queſnelliſtæ nonniſi incohærenter requirere in confitente poſſunt, in Baptizando autem homine negligere. Quæ *autem baptiſmatis, eadem quoque reconciliationis eſt ratio*, in-

 quit

Digitized by Google

quit Auguſt. L.1. de Adulterinis Conjugiis cap.28. : & omnino valet, ubi de contritione agitur, veraque cordis converſione utrobique neceſſaria. Sapienter reprobavit, & proſcripſit Eccleſia anno 1679. per Innocentium XI. qui doceat „ Pœni- „ tenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, „ naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, „ nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore „ proferat ſe dolere, & proponere emendationem „. Putaſne Auguſtinum alioſque veteres Patres cenſuiſſe hominem, qui ejuſmodi eſset, fore aptum ſuſcipiendo Baptiſmo? eumque neque illi eſse negandum, neque differendum?

Reſpondetur quarto: ſaltem debuiſse olim, & modo debere Eccleſiam baptizandos ſeriò admonere, ne ad baptiſmum accedant, niſi longa, ac diuturna abſtinentia a peccatis purgatam animam ad veram contritionem (opus ſcilicet, ſi Arnaldo credimus, longi temporis), diligentiſſime præparaverint, eo ferme pacto, quo Arnaldiſtæ monent peccatores baptizatos, ne ad abſolutionem accedant, niſi conſcii fuerint diuturnæ emendationis, quæ ſit contritionis veræ, vel congruum meritum, vel diſpoſitio, vel cauſa, vel certus fructus, aut ſi malueris, hæc ſimul omnia. Auguſtinus ſerm.132. n.4. hortatur Catechumenos ad Baptiſmum, & Fideles ad Euchariſtiam, ſed hos quidem ſub conditione: „ Cogitantes gradus veſtros ... accedite ad car- „ nem Domini ... Qui ſe ſcit aliter eſse, non accedat ... „ Qui audiunt me dicentem „ quicumque non ſervatis caſti- „ tatem, nolite accedere ad illum panem „ contriſtantur: Et „ ego nollem hoc dicere: ſed quid facio? timebo hominem, ut „ taceam veritatem „. Ibidem lege alia plura in hanc rem.

At cum hortatur Catechumenos ad Baptiſmum, cui adjungebatur tum Confirmatio, tum Euchariſtia, (imo etiam cum hortatur fideles ad Euchariſtiam hoc ipſo in loco) non requirit, tamquam neceſsariam diuturnam abſtinentiam a peccatis, de qua neceſſitate, neque hic, neque alibi ullum verbum facit: multo minus eam conditionem adhibet, *qui ſe ſcit aliter eſſe, non accedat*. Ait quidem ad Catechumenos eodem ſerm.132. *Feſtinent ... quid cauſæ eſt, Audientes, ut ... non accedatis? ... Accede ad Profeſſionem ... Pulſa, & aperie-* *tur*

tur tibi ... Catechumeni ... ad tantam gratiam regenerationis accedere non morentur ... Sed de neceſſitate diuturnæ præviæ emendationis a peccatis nullum indicium. Valde ſane culpabilis hæc omiſſio fuiſset in Auguſtino, ac Patribus reliquis. Multo minor omiſſio ſatis fuit, ut Arnaldus Libro de Frequenti Communione Jeſuitam Adverſarium ſuum, quaſi laxiſſimum Theologum, perpetua conviciorum ſerie, pro Janſeniano more, caſtigaret. (*a*)

Multo-

(*a*) Ut vim hujus animadverſionis clarius perſpicias, audi quo oratorio artificio declamet Arnaldus in adverſantem ſibi Jeſuitam, qui oves quaſcunque a Chriſto errantes ad Sacramentum Pœnitentiæ invitat, nulla propoſita ſtabili, & generali lege de differenda abſolutione miſeris his peccatoribus. Hæ ſunt voces Arnaldi Par.2. Lib. de Freq. Comm. cap.XI. pag. mihi 263. „ Quis vero non videat, niſi qui tenebras ſibi ipſe offundere velit, eum peccatorum converſionis fundamenta non firmiſſima ponere, nec eorum ad vitam in melius referendam adducendorum optimam inire rationem, qui improvidam facilitatem, & inhumanam quamdam lenitatem adverſum illos adhibeat, qua id unum aſſequi poſſit, ut ex eorum animis criminum memoriam obliteret, lachrymas comprimat, gemitus ſedet, vulneribuſque lethalibus ſexcentis languentes falſa ſanitatis opinione illudat? Vim acerbitatemque morbi ſentiat, oportet, ægrotus, ut in illum denuo incidere formidet (compara Arnaldi Magiſtri verba cum Queſnelli Diſcipuli propoſitione 87. *Modus plenus lumine .... eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate ſtatum peccati &c.*) Criminis pœnam peccator pendat, ut ejus metu atque horrore percellatur, & *violentiæ pænitendi*, inquit Auguſtinus Tract. 49. in Joannem, *cedat conſuetudo peccandi:* Gemitibus & lachrymis diutius incumbat, ut longinquior mora debitum flagitiis ejus æternum ſupplicium repræſentet. Spatium denique illi ſit, ut quantam ſe in calamitatem voluntaria contumacia dejecerit, expendat, in eaque ſe ipſum cogitatione, & voluntate magis, ac magis confirmet, quodvis patiendum, quodvis ferendum, quodvis prius dimittendum, quam ut in miſerabilem ſtatum, unde emergere nititur, rurſus ſe præcipitem ferri ſinat: Alioquin *ſi cito rediret homo*, inquit idem Auguſtinus, *ad priſtinam beatitudinem, ludus illi eſſet peccando cadere in mortem* „ Lege reliquum caput.

Age vero: omnia hæc quæ Arnaldus effundit in Jeſuitam, qui ex ſtabili lege non differt abſolutionem pœnitenti baptizato, nonne ad verbum omnino cadunt etiam in Auguſtinum, cujus illæ ſunt voces -- *Catechumeni ... ad tantam gratiam regenerationis accedere NON MORENTUR?* Et hi Catechumeni magnis erant peccatis obſtricti, magnaque peccandi ab annis pluribus conſuetudine; multo plura, multoque atrociora ſcelera in iis erant, quam in baptizatis eſſe ſoleant; & ii Catechumeni circumdati erant infirmitate, ſentiebantque aliam legem in membris ſuis cum relabendi periculo: & in iis Catechumenis neceſſarius erat dolor cum ſerio propoſito.

Multoque magis fuiſset culpandum, quod Auguſtinus eam ſecuritatem daret baptizatis omnibus, quam dari legimus in ejus Libris, ubi agit de remiſſione peccatorum ante baptiſmum: Serm.351. num.5. „ Orantes dicimus ... dimitte nobis debita „ noſtra .... non enim ea dimitti precamur, quæ jam in „ Baptiſmo, niſi dimiſsa credimus, de ipſa fide dubitamus „ Sermone 131. „ In Baptiſmo .... „ accepi, inquit, remiſſionem omnium peccatorum „ Reſpondet Aug. „ Prorſus verum eſt: deleta ſunt cuncta peccata in Sacramento baptiſmatis, cuncta prorſus, dicta, facta, cogitata, cuncta deleta ſunt „. Hæc centies iterantur in Libris Auguſtini. Atqui ſi ad veram contritionem neceſsariam fructuoſo Baptiſmo, opus eſt longo ante tempore fuiſse a peccatis expertem, quam ſtultè, ac temerè putabimus Catechumenos, ideſt immenſam turbam Adultorum omni ſcelerum colluvie ut plurimum coinquinatam, ita fuiſse diſpoſitos? Dubitandum foret, & pluſquam dubitandum de fructu Baptiſmi, quemadmodum Arnaldiſtæ dubitare ſolent, imo fere deſperare de fructu impertitarum abſolutionum ſecundum hodiernam praxim.

Quæ hoc 1. §. diſputata ſunt, præcipuas duas Arnaldi, ejuſque Queſnelliſtarum ſectatorum Aſsertiones evertunt: Altera eſt: Poſt confeſſionem peccatorum lethalium differendam eſse regulariter abſolutionem, & interim vacandum pœnalibus ſatisfactoriis operibus, quia contritio opus eſt longi temporis: Altera eſt: Etiamſi in confitentibus peccatoribus eſſet

ſito. An non itaque maxime culpandus erat Auguſtinus, quod eos Catechumenos non probaret longiori mora, longaque innocentia? non diutius detineret experimento ſtabilis emendationis? An non ſacrilegæ, omnique laxitate pleniſſimę dicendę nobis erunt Auguſtinianæ illæ voces: *Feſtinent ... accedant ... non morentur...* interpoſito etiam pro concione promiſſo ſatis ſolemni de magna facilitate per ipſum Auguſtinum adhibenda: *Pulſa,* inquit, *& aperietur tibi*: Quæ enim major facilitas eſſe ſolet, quam illa, qua aperitur pulſanti? Et iterum „ *Ut tibi dico, pulſa, & aperietur tibi, ita & ego pulſo, aperi mihi*: *Ecce*, inquit Auguſtinus ibidem, *Paſcha eſt: da nomen ad Baptiſmum: ſi NON TE EXCITAT FESTIVITAS, DUCAT IPSA CURIOSITAS, ut ſcias quid dictum ſit: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo* „; Si ex ore, aut calamo Jeſuitæ peccatorem ad confeſſionem & abſolutionem invitantis excidiſſent eæ voces, *te ducat ipſa curioſitas*: quibus, putas, clamoribus & ejulatibus univerſam Eccleſiam compleviſſent Arnaldus, & ſui?

Digitized by Google

eſset requiſita contritio, adhuc tamen ea dilatio neceſsar ia eſſet, ut Eccleſiæ probaretur legitime eam contritionem adeſse. Utrumque probavimus eſse falſum ex hac Parte Auguſtiniani Sermonis 351. ſive Homiliæ 50. Falſa ſiquidem eſt prior harum aſsertionum, quandoquidem ſententiâ Auguſtini, & Eccleſiæ, quæ ejus ætate vigebat, cenſebatur baptizandos adultos utut maxime a peccatis recentes, habere practicè poſſe neceſſariam contritionem. Falſa eſt harum aſſertionum poſterior, quandoquidem ex ſententia S. Auguſtini & Eccleſiæ, quæ ejus ætate vigebat, cenſebatur, quantum neceſſe erat, probatus dolor in facie Eccleſiæ ad Baptiſmum admittentis adultos, etiamſi de neceſſaria contritione non conſtaret ex iis perſpicuis probationibus, atque argumentis, quæ Adverſarii noſtri requirunt in Pœnitente abſolvendo.

Quæ omnia procedunt data certiſſima doctrina, veram nempe contritionem a Tridentino requiſitam, tum in baptizandis, tum in abſolvendis requiri. Plura de hac re jam diximus: Ac confirmare præterea poſſumus ex Auguſtino Lib. de Fide, & Oper. cap.8. ad ea verba Petri Act.2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*: „ Cur, inquit Augu- „ ſtinus, non advertunt quod dictum eſt *Agite pœnitentiam*? „ Ibi eſt enim vitæ veteris expoliatio, ut nova induantur, „ qui baptizantur. Cui autem fructuoſa eſt pœnitentia quæ agitur de mortuis operibus, ſi in adulterio perſeveret, aliiſ- „ que ſceleribus, quibus dilectio mundi hujus involvitur „? Et paulo infra ad ea alia verba quæ baptizandis dicebat S.Petrus; *Ceteris verbis pluribus teſtificabatur dicens: eripite vos ab hoc ſæculo pravo*. „ Ipſa quippe ſumma poſita eſt, ait Auguſtinus, „ cum dictum eſt, *Eripite vos ab hoc ſæculo pravo*: verbis „ autem pluribus, ut hoc fieret, teſtificabatur Petrus: In his „ verbis erat mortuorum operum condemnatio, quæ nequiter „ agunt hujus ſæculi dilectores, & commendatio vitæ bonæ, „ quam teneant, atque ſectentur, qui ſe ab hoc pravo ſæculo „ eripiunt. „ Vides quam accurate S. Petrus (Auguſtino interprete) inſtruebat baptizandos? Nemo erit qui hoc a nobis petat, ut in abſolvendos majori ſollicitudine urgeamur, quam S. Petrus in eos, qui ad baptiſmum admittebantur.

Fru-

Digitized by Google

Fruſtra quis ex Arnaldo De Freq. Commun. Par.2. cap.IX.
ea in rem præſentem detorqueret, quibus ibidem diſputat:
„ Violationem Baptiſmi . . . cauſam fuiſſe SS. Patribus ad lon-
gam, & laborioſam pœnitentiam peccatores adigendi „ Eſt
enim hoc omnino extra præſentem controverſiam. Omnes fa-
temur cum Tridentino ſeſſ.14. c.8. de ſatisfactionis neceſſita-
te, & fructu, cujus capitis verba ibidem citat Arnaldus, „ Di-
„ vinæ Juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gra-
„ tiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam de-
„ liquerint, aliter vero qui ſemel a peccatis, & dæmonis
„ ſervitute liberati, & accepto Spiritus S. dono ſcientes tem-
„ plum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non
„ formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita no-
„ bis, abſque ulla ſatisfactione, peccata dimittantur, ut oc-
„ caſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii,
„ & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur, the-
„ ſaurizantes nobis iram in die iræ „. Hanc doctrinam Tri-
dentini, cui præivere Tertullianus, Auguſtinus, Pacianus,
Chriſoſtomus, Ambroſius, Gregorius Nazianzenus, Theodo-
retus, Bernardus inutili labore ab Arnaldo relati eo capite IX.
nos quoque ultro amplectimur; At ea unum illud probat, de
quo non eſt quæſtio: baptizandis non eſſe ſatisfactionem im-
ponendam, ſed imponendam eſſe abſolvendis: Ubi autem vel
a Tridentino, vel a Patribus hoc capite IX. ab Arnaldo ci-
tatis, docemur eam eſſe imponendam *ante abſolutionem*,
ut eorum operum pœnalium præſidio, ac teſtimonio tum
vera contritio eliciatur, tum etiam apud Eccleſiam probetur?
Proferant verba, quibus doceamur baptizandos, quamvis a
magnis criminibus recentes, facilius abſque diuturna pœnalium
operum exercitatione elicere potuiſſe ac poſſe congruam con-
tritionem, quam baptizatos ſeſe diſponentes ad confeſſionem?
Facilius ac prudentius præſumi potuiſſe in baptizandis eam
contritionem, quam in vulgaribus pœnitentibus jam bapti-
zatis? Veriſſimum eſt peccatum baptizati hominis gravius
eſſe cæteris paribus, quam peccatum ab Infideli patratum:
At potius hoc ipſum convincit, quod minus difficulter de gra-
viori crimine dolor in homine fideli ſit excitandus.

§.II. &c. &c. &c.

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Google